

BIBLIOTECA DEL DVQVE DE MEDINACELI Y SANTISTEBAN
Stern Gr. Paris.

ARS MEMORIÆ,

Sive

Clara & perſpicua

METHODUS

Excerpendi Nucleum rerum ex omnium Scientiarum monumentis.

Expedita quoque ratio per apertas Rhetorices vias excerptis utendi.

OPUS

Litterarum Sedulis Cultoribus, novellis præcipuè Verbi Divini Præconibus, ac vitæ religioſæ

TYRONIBUS UTILE

Editum

à

R. P. THOMA ERHARDT

Weſſofontano Ord. S. Benedicti in exempta Congregatione SS. Angel. Cuſtod. Theologo.

PARS III.

Auguſtæ, Sumptibus Joannis Strötter. Bibliop. An. 1715.



INDEX
Capitum, & Paragraphorum.

Leges numerorum, & citationis repete à capite Indicis posterioris.

Pars Tertia.
De Usu Excerptorum.

tudi-



Pars



PARS TERTIA.
de
Uſu excerptorum.



Uſebius. Multos eſt videre Euſebi, qui ingenti molimine, & laborum apparatu in id unicè incumbunt, ut litteris, aut litterati nomine potiantur. Dies indefeſſi, noctes inſomnes jubentur ſuas horas ſeverè conferre, ut ne diſcendi ſtudio ab anguſti temporis inopiâ vel minimus tobex ponatur. At ſine juventutis æſtum deferveſcere, & videbis tanti moliminis opus (ſcientiam tanto conatu conquiſitam dico) neglectim jacere, nec ullo in pretio, aut uſu haberi. Similes hi mihi videntur ſtolidis illis architectis, qui grande palatium magno ſumptuum & laborum apparatu in vaſta, & inculta ſolitudine educerent, non ut illud inhabitent, ſed ut magni facinoris nomen reportent: Templa ſcientiarum condimus varii

146 *Uſurpare ſcienciam*

varia, ſed multi vacua, queis alius non eſt uſus, quàm inanis ſonus. Quoties audimus, hunc, & illum digitô monſtrari? En inquiunt iſte inter ſuos in ſtudio Philoſophiæ primas nemini unquam ceſſit, ingenii acie in omnes naturæ receſſus penetravit. Sed mi Euſebi ſi liceret nobis hominem propius arbitrari, quàm timeo, ne nobis eveniat, quod iis, qui ad magna diruti palatii rudera ducuntur; prô quantum exclamant illi, hæc olim erat architectonicæ opus! ſi etiamnum conſiſteret hæc artis machina, in quot turres conſurgeret? abiret conclavia? deſcenderet cellaria? ac diſtenderetur atria! En tota laudis materies ſumitur à præterito. Fuit palatium, nunc eſt incomptum ſaxum; fuit aula nunc eſt caula; fuit undique obauratus paries, nunc eſt putrida caries; fuit magna moles, nunc magnæ molis umbra; fuit magnum theatrum, nunc magni Theatri veſtigium; fuit magna domus, nunc magnæ domûs rude ſignum. Præterita ſym̃etria, præterita forma, præterita magnitudo totum eſt collapſæ regiæ encomium. Cùm igitur præteritum nil amplius ſit, præteriti nulla

la eſt laus, ut adeo præteritum laudare, ſit laudare nihil, & in diſpendiis gloriari. Ita quoque videmus non raro juvenes ceu grandia domicilia, in quæ putares omnes Muſas commigrare, ſuſpici, coli, & honorari. At tam ſplendidæ hoſpites, ubi ætatis, & rei litterariæ amor cœperit frigeſcere, niſi aſſiduô ſtudiô alantur, paulatim otiô offendentur; offenſæ, tœdiô pellentur; pulſæ odiô mentis domicilium aliis incolis, quos inſcitia adducere ſolet, relinquent. Atque hi non tam hoſpites, quàm hoſtes paulatim variæ eruditionis columnas labefactabunt, conclavia doctrinæ deſtruent, principia, queis ſcientia velut muris innititur, evertent, donec præter magnæ litteraturæ rudera, nil amplius relinquatur. Præcipuô itaque ſtudio Euſebi curandum eſt, litterarum amantibus, ut, quæ in juventute hauſerunt, in reliquæ ætatis uſum conſervent. Quanta temporis, & laboris prodigalitas diſcere, ut, quæ didiciſti; obliviſcaris! parare contentione maximâ opes non parvas, ut ſimul omnes prædatrici oblivioni cedas! Unius, ſed magnæ inſipientiæ reus eſt, qui, quod facilè poſſet, non diſcit; maximæ, qui, quod

 didi-

didicit, uſu facillimè potuiſſet conſervare & neglexit. Utinam ſcientiæ, quæ tam miſerum fatum ſubire coguntur, eſſent paucæ; qui ſubire cogunt, pauciſſimi. Sed velut religioſè docti, & doctè religioſi utrumque numerum ceu magnum vehementer deflent; ita vehementer opto, ut ab utroque ſis alieniſſimus. Eris autem, ſi, quæ ſcis, notes; quæ notas, relegas, quæ relegis, uſurpes. Absque uſu etiam pretioſa vileſcunt. Quid prodeſt ager, qui ſemper colitur, nunquam metitur? quid commodi affert arca gemmis referta, quæ nunquam recluditur? Miſeram hanc opulentiam potiùs paupertatem dixeris; ego autem dicam multarum rerum gnarum ſed nullas uſurpantem longè pauperrimum. In quô enim differt horreum, quod recludi non poteſt, ab horreo, quod ſemper vacuum eſt, utrumque otioſè occupat
147. *excerptorum* aream, neutrum prodeſt, ex neutro alimoniam parabis. Cum igitur norim tuam Euſebi laboribus aſſuetam induſtriam, non eſt, quod timeam, ne thecas tantum, & papyrum ceu inane *Notatorum* horreum exſtruas; tui tamen me amor ſollicitum habet, ne tua excerptorum horrea, quæ variæ erudi-

tionis frugibus implêsti, claudas, & clausa relinquas, ut avari solent, queis sat est multa coacervâsse. Te namque liberalium artium, cùm & promumcondum, & alumnum profitearis, decet, ut in horrea excerptorum nil inferas, quod non possis liberaliter in mentis tuæ nutrimentum convertere. Impigra tua diligentia, ardens ille librorum amor, illud quietis, & solitudinis studium, illa legendi, & veritatem inquirendi cura tua spem mihi præbent amplissimam, fore, ut excerpta tua studii tui, calamique divitiæ brevi in magnum cumulum excrescant. Ne igitur tanta opulentia otiosè flaccescat, sed in tuam, aliorumque salutem convertatur, posthac toti in eo erimus, ut *Notarum* usum & facilem, & utilem reddamus. *Eusebius.* Superant alii Mecœnates suorum clientum merita, tu etiam desideria, & non solùm plus beneficii in me congeris, quam mereor, sed etiam plura, quàm scio. *Eubulus.* Ut formetur vir litteratus, studium omne conferendum est. Beatum me fortunatosque meos labores, si te talem effinxero. *Eusebius.* Utinam

nam mentem, ut doctrinæ tuæ formam imprimas, ceream; ac ut impressa servet, æream præbere possem! *Eubulus.* Utrâque dote pollet mens tua; utrâque si potitus fuero, næ notarum usum perspicuè monstrabo. Numine ergo, (cujus opem & lumen ad conficiendum reliquum itineris, & ad declinandos devios anfractus mecum petas.) ducente residuam dissertationis nostræ viam ingrediamur.

CAPUT I.

Quomodo Notarum usus à notante in propriam utilitatem sit convertendus.

148. *Uti Notatis ad*

Eubulus. Omnia, quæ T. O. M. Deus produxit, homini vel ornatum, vel commodum præbent. Cibus nutrit, vestis ornat corpus; non facilè herbam in pratis, aut feram in sylvis repereris, quæ suam virtutem, aut odorem, pellem, vel carnem ad ornandum, vel fovendum corpus humanum conferre non debeat. Longè tamen major, & mirabilior est Numinis in mentem nostram liberalitas. Huic gratiam, & scientiam

tiam munificentissimè affundit beneficio eò majore, quò dantis ardentior est charitas, & accipientis abjectior vilitas, & doni majestas illustrior. Hæc autem sua Deus munera neutiquam vult otiosè delitescere, sed omnis mentis nostræ opulentia exaugenda est & quæ ad nostram utilitatem data sunt, ad aliam iterum, novámque utilitatem sunt convertenda. Id de virtutibus, & gratia Dei certissimum esse, non ignoras; & si ignorares, magistros nosti, turbas SS. Patrum. De litteris, & scientia quavis, ut idem sentias, experientiam habemus palmarem, & fermè quisque propriam, eamque utinam mediocri, & non magno damno haustam. Nam sit, qui mentem infarciit omnibus scientiis, quid est, ni illis utatur, ac armamentarium semper clausum, ex quo nec gladium, nec tormentum proferre possis. Eâdem mensurâ mi Eusebi debes metiri necessitatem sciendi, qua mensuranda est necessitas utendi iis, quæ scis. Quin hæc longè major est. Multa possunt multi sine dispendio ignorare? sed ea quæ scimus oblivione, & otio dilapidare,

re, quis non magnum diſpendium dixerit? velut autem cujusvis ſcientiæ uſus eſt ſummè neceſſarius tam ut perficiatur, quàm ut conſervetur; ita quoque tibi ex eadem neceſſitate inculcatum velim uſum *Excerptorum*: & velut viri magni ſuam, quâ pollent, ſcientiam in geminum uſum deducunt, ac eâdem lege ſuas notas tractant; ita quoque vehementer è re tua cupio, ut in utroque illorum veſtigia fortiter ſectéris. Illi quidquid ſciunt, notántque, vel in ſuum, vel proximi emolumentum vertunt. Cupis jam in alterutro, aut utroque præeuntes ſequi? en me ducem habes. Primò itaque tibi eam ſemitam monſtro; quam ingrediuntur illi, qui excerpta in ſuæ duntaxat mentis commoda trahunt, monſtraturus dein illam, qua derivant in ſalutem aliorum.

utilitatem propriam, vel alienam

§. I.

Excerpta ritè relegere.

149. *propriam relegendo*

QUamvis excerpta, præcipuè ſi juxta leges ſuas inſtructa fuerint, labilis memoriæ ſint perinſigne firmamentum; ut ſuas tamen imagines menti inſitas conſervent, nonnunquam ſi non colendæ novo ſtudio,

dio, lectione tamen recolendæ erunt. Nec id ego hîc ago, ut tibi *Excerptorum* lectionem multis à necessitate, aut utilitate probem, cùm tuopte ingenio nec illam possis, nec istam velis ignorare. Sed totum id, quod conor, collimat in methodum, qua relegas.

Ac quidem inprimis ordinis magnam te velim habere rationem. Tolle enim ordinem, & prodibit merum chaos. Nosti ordinem in faciendis esse, quod nexum in factis, si hunc in istis sustuleris, peribit partibus utut pulchris suus decor ut ut magnis sua vis, ut ut utilibus suum emolumentum: si istum tollas in illis, facienda nunquam conficies, & similis eris devianti; ac velut is eundô termino itineris non appropinquat; ita nec tu agendo terminum operis assequeris. *ordine*

Ordinem autem, quo notata relegas duplicem noveris. Primum sumimus ex serie *Excerptorum*, alterum ex fortuna mentis. Hunc reponamus in §. sequentem, istum jam indigitemus. Ex p. 2. n. 106. habes excerpta constare decem libris, & 25. vagis, illos titulis in quaternio- *Librorum.*

nes

nes inſcriptis, hos in folia annotatis, ac demum omnium titulorum ordinem ad ſeriem alphabeti inſtructum cit. p. audiſti. Cùm igitur aggrederis Excerpta relegere, accipe primum titulum libri primi de Deo; ſi primum evolveris, legis ſecundum, tertium, ac omnibus perſpectis inchoas titulum primum libri ſecundi de Chriſto. Hoc ordine ſervato eâdem induſtriâ pergis ad vagos. Cùm cuivis titulo ſemper nova materia ſuccedat, proderit plumbo ſcriptoriô deſignare locum, ad quem relegendô perveniſti.

150 *reflexione ad citationem puram.*

Porro hæc lectio ritè inſtituta duo emolumenta confert intellectui. Nam tam ſpecies, ſeu imagines præhabitas excerptorum excitat, quàm novas ſuſcitat. Si ſpecies novas, & novos cogitatus, ſensúsve præbent, quæ relegis parumper ſubſiſte, & veritatem illam per puram citationem (de qua p. 2. c. 11.) ad debitum locum deriva. Non eſt autem hîc caput trudendum, ſed veritas ultro ſe offerens admittenda eſt ad calamum; nulla autem quæ multo labore eruenda foret, conquirenda, niſi velis exercitationis gratiâ tui ingenii periculum facere,

facere, & eos hydraulas imitari , qui fontes, ut artis ſuæ documenta ferant, in arida eſſodiunt.

Cæterùm cùm excerpta relegimus, haud opus eſt, ut ſingula verba oculis obeamus; ſed ſufficit nonnunquam unicus aſpectus Subalterni, & revocabitur tibi integra eruditionis farrago in memoriam ; ut vel inde diſcas excerpendi ſtudioſis nullum temporis diſpendium timendum, magnum autem lucrum ſperandum eſſe. Experimentô addiſces Eubule tibi facillimum fore intra unius quadrantis anguſtias integri biquaternionis, & omnium titulorum memoriam inſtaurare. Quod enim alii legum excerpendi ignari longa temporis,& oculorum, capitisque fatigatione primùm corradere,& ex libris emendicare debent, tu parata habes ſimilis magni gregis domino, qui armenti ſui, dicam potiùs atramenti opes unico obtutu arbitrari poteſt; cùm aliis primùm in ſylvas Auctorum excurrendum ſit, ut feram, aut verum aliquod vagum non tam arte,quàm fortunâ conquirant. *aſpectu titulorum.*

Verùm cùm temporis, cùm animi, commodique tui ratio nonnunquam expetere videbitur, ut excerptis cum *151. morâ nõnunquã*

B mo-

mora quadam inhæreas, utere tempore, animô, & comodo tuo, ac tibi quoque illam prudentiæ legem latam esse credito : parùm interesse, ut multa ; plurimùm, ut benè agas. Morari autem potissimùm tunc te velim, si incideris in floridum quoddam novarum cogitationum pratum. Tum enim excerpendi flosculi, propiùs mentis tuæ oculis admovendi, ac cujus scientiæ, virtutisque redoleant fragrantiam, explorandum, ut pura citatione velut in fasciculum colligas, ac in usum tuum convertas. Optima hîc dux est prudentia. Hanc Eusebi sequaris.

parùm Licet autem nunc solo aspectu, nunc etiam lectu expediat notarum imagines renovare ; semper tamen utilissimum censeo illam medices gnomen infirmis multi cibi valetudinem non instaurant, sed infirmant. Valetudine laborat nostra memoria : multis non juvatur, sed ôbruitur, & nimiæ rerum imagines oblitterant necessarias. ut excerpendi ; ita excerpta relegendi suus debet esse modus ; non is quem libido sciendi, sed vis ingenii expetere videtur.

Sed

Sed velut, qui parùm agit cum moderamine; roboratur, ut sæpe agat novo lucro : ita quoque probo eos, qui non admodum multùm in excerptis relegunt, ut sit vis mentis, & animus, quò relegant sæpe. Itentidem meminisse debemus infirmitatis nostræ. Multùm ægris è valetudine est, si parum, sed sæpiùs edant : plurimùm studiosis è doctrina, si non nimiùm, sed sæpius studeant. Musæ neminem damnant ad transtra; ut sellæ tuæ insideas, non affligaris, volunt; animos liberales faciunt, non captivos. *152. sæpe*

At verò ut & parùm velis, & sæpe possis tua excerpta relegere, noveris Eusebi fugacissimi temporis ingenium. Fugit, cùm venit; vix adest, abest. Nisi ergo certas cujusvis diei, aut saltem alterni quadrantulas studio relegendi designatas habeas, sæpe spe tua delusum te videbis, & integras septimanas excerpta tua sine cultura memoriæ relinquere cogéris. *Eusebius.* Quà igitur vis arte, ut fugaci tempori manus injiciam? *Eubulus.* Quâ magnæ mentis homo injicit. Magni is præprimis æstimat exiguam temporis portionem, quamlibet ejus partem honesto operi sacram *tempore designato*

habet, eosque tam locos, quàm homines fugit, in queis thesaurus temporis futili joco non tam miserè venditur quàm impiè prodigitur. Viribus actiones, actionibus tempora, temporibus animos ancillari jubet; ut nec actionibus vires, nec temporibus actiones, nec animis tempora unquam desint. Si agentem videres, putes ab eo parùm agi; si acta, ad stuporem multa. Tanta est agentis quies, tanta virium, & operum mensura, ut cùm feriari videtur, operetur, si non magna, certè utilia, & quæ mereantur boni cujusque studia, & imitationem. Tanti igitur viri imaginem tibi ob oculos mentis tuæ statue, & facilè repereris quasdã temporis morulas, ut excerptis tuis solitum pensum exsolvas, aptissimas; ac seliges illas, quas à mensa (quam tibi semper sobriam opto) severiori studio necdum potes aptare; aut quæ dantur ab actionibus intercalaribus, in itu, & reditu salubrioris äeris causâ ad hortulum, inter duo opera quadam temporis intercapedine interpellata; quæ demum dantur à quadam mentis, aut corporis ægritudine (sine qua hanc mortalitatem non vivimus) vel antequam vires ingenii velis arduis applicare. Nul-

Nullum autem tempus aut majori utilitate aut ſynceriori voluptate relegendis excerptis datur, ac quod animi, aut officij noſtri ratio expoſtulat. Verùm hac de re §. §. ſeq. Hîc pro coronide monuiſſe ſufficiat, omni anniſu collaborandum eſſe, ut omne tempus ſit tuum, nullum mancipes vitiis. A prodigalitate temporis brevì malè audiet, qui vel horam tam malo ſidere natam putat, quaſi eâ liceat non benè operari. Unde hæc ipſa, dequa hactenus, lectio, ne tempus prodigatur, non animi impetu, aut curioſitate aſſumi debet ſed omnia ad mentis culturam ordinentur. *opportune*

§. II.

Ordinare excerpta ad culturam hominis interni.

EUbulus. Velut regiones, ita & mentes hominum non ſemper eâdem utuntur fortunâ. Illæ nunc premuntur bellô, nunc pace levantur; jam cum fame litigant, jam abundant annonâ; moderna malacia paulò poſt deſinit in tempeſtatem. Eâdem viciſſitudine aguntur mentes hominum ſubito alta quiete dejiciuntur, & ubi *153. Notis velut armis contra*

ſperâſſent diuturnum ſerenum, involvuntur nubilis. Sæpe è pridianæ lætitiæ riſu profluit fons lachrymarum, & quæ putabantur felicitatis fæcundi agri, ſubito degenerant in lolia calamitatum. Cùm igitur par ſit regni, & animi ſors, ac tam illi, quàm iſti perpetuò cum inconſtantia decertandum ſit, par utrique in malis medicina, in bonis quæratur induſtria; ac velut iis, queis cura regni incumbit, non ſufficit noſſe perpetuam rerum vertiginem; ſed opus præterea eſt, ut cuivis fortunæ ſua conſilia fortiter objiciant. Ita quoque ut mentis tuæ dominiô inſtar monarchæ potiaris, haud ſat eſt, ſi noveris hoſtes; noveris & animos; ſed ulterius connitendum eſt, ut pares arma, queis illos profliges; & media, queis illos concilies. Armorum, & mediorum ingentem apparatum pollicetur tib conſtans Excerptorum uſus. Periculum haud inanis promiſſi facio manifeſtum. Innumeri ſunt mentis noſtræ hoſtes. Tot quisque hoſtibus ſe ſubijcit, quot vitiis ſervit. Tota tamen multitudo in tres claſſes au veriùs exercitus dividitur. Primu caſtra ſua locavit intra nos, alte

juxt

juxta nos, tertius infra nos, quivis altero pejor, & in exitium noſtrum juratiſſimus quiſque. Intra nos ſunt vitia noſtra, juxta nos mala ſocietas, infra nos dæmonum phalanges. Quid agat tot hoſtibus inſeſſa, & obſeſſa mens? Ad arma convolet, ad S. Scripturæ armamentarium pergat, armaturam ſtudiô calami conquiſitam in ſtudia velut in mœnia transferat, in hoſtes obvertat, ac demum ſtrenuo uſu explodat. Cùm igitur adverteris hoſtes mentis tuæ, inordinata deſideria, invidiam, odium coire in rebellionem, ac ab ira impeti manſuetudinem, aut à torpore alacritatem animi; ad conſueta mentis tuæ arma properare ne moreris. Si adverſis caſibus ſepta mens involvitur triſtitiæ nubilis, aut proſperis titillata debitis lætitiæ cancellis egreditur, adi *Induſtrias*, & invenies ingentem apparatum, quo & triſtitiæ legem, & lætitiæ modum ponas. Si tœdiô afficeris, incipiúntque priſtina virtutis ſtudia diſplicere; evolve *Gratias*, rememora munera, queis Deus ſuos milites præmiatur, & inſtaurabis priora ad omnem probitatem conſilia. Si maximi, & quo nullus damnoſiùs in exitium no-

internos.

ſtrum bellatur, inimici (philautiam dico) aſſultum adverteris; accurre ad *vitium*, & hîc hoſtîs tui turpitudinem non otioſus ſpectator conſidera: accurre ad *Pœnas*, & inflicta ſupplicia perpende: accurre ad *Charitatem*, & ex hujus emolumentis illius damna arbitrare; ac profecto glorioſè triumphabis.

externos

Pari felicitate depugnare licebit in hoſtes, qui extra nos, ac mentem miſerè obſident. Eo nomine cenſentur vaniſſimi decipientis ſæculi rumores, mala malè operantium exempla, & his peior mala ſocietas.

infernos, ob

His arma ſua conſociant, qui infra nos ſunt, dæmonum phalanges, & quaſi cuniculos agunt, ut miſera mens undique concutiatur, & ſui incuriâ dejiciatur. Nec locum à ſanctitate tam eximium, à ſolitudine tam quietum, aut vigilantiâ tam munitum invenies, quem hoſtium noſtrorum implacabilis ira non auſerit, poſſitque invadere; in ipſum ſanctimoniæ munimentum, cui defendendo ipſe Chriſtus omnis virtutis Magiſter ſupremi Præfecti vices capere dignatus eſt, non ſine funeſta clade penetravit. Non equi-

equidem me latet Euſebi omnia S. Scripturæ monimenta eſſe totidem velut armamentaria, ex queis contra mentis noſtræ hoſtes arma depromamus. verùm te quoque latere nequit hæc armamentaria clauſa eſſe, & ſeptem ſigillis (a) velut totidem clauſtris fortiter obſerata. Clavibus ergo, ut recludas opus eſt, nec paucioribus, quàm ſeptem, ſi vel una defuerit, aut porta non patebit, aut, ſi patuerit, utilia arma non depromes, vel ut patentiùs loquar; deprompta utiliter non uſurpabis. Periculum tibi facio, claves S. Scripturæ illuſtriſſimi armamentarii noſtri affero, ſingulas ſuis clauſtris applicemus, & videbis, nec unâ, nec ſingulis portam feliciter recludi, niſi accedat ſeptima ſtudium notandi. Primam itaque clavem dicimus magnam rei divinæ, & in ſacris litteris contentæ æſtimationem. Hanc clavem ſi ſuſtuleris, non ſolùm non poteris, ſed nec voles recludere: quis enim quærit, quod non diligit? Æſtimatione ceu prima clave ritè inſtructus capias neceſſe eſt alteram, lectionem. ſine hac nec æſtimabis ſacram doctrinam, nec inquires. At licet legas, & lectione ceu clavi coneris uti, nihil efficies,

154, neceſſitatem

nisi accedat studium, labor, ac patientia, quæ subeunda sunt, ur arcani, a abstrusi sensus aperiantur. Tertia hæc clavis enervis erit, nisi juvetur ab alia fortiori exercitatione. Ubi namque nulla exercitatio, laboris nostri fructus iam parti denuò deperduntur. Inest humanæ menti (rabidam potiùs dicam, an insatiabilem ?) sciendi libido, cui nisi studiositas moderetur, intellectus non tam colitur, quàm culturâ obruitur. Quinto igitur loco summè necessariam clavem dicamus studiositatem, qua per moras claustra rei divinæ aperire discamus. Sed nullam magìs necessariam dixerim clavem ac parsimoniam temporis: hanc quisquis è manu dimiserit, incassùm fatigat claustra; frustra quæruntur claves armamentarij, cùm hostis jam premit muros. Aliis tempus avolat, iis, qui litteris militant, nisi certatim occupent, furtim abripitur.

Vides Eusebi unam clavim ab altera pendere, ac unâ non usurpatâ destitui usum alterius. Longè tamen majorem necessitatem dico, ut tibi septimam (sedulum calamum) clavem consequaris. Tolle hanc clavem, & cæteras omnes sua vi exarmabis. Ut tibi hac

hac in re fidem faciam, non adduco optimam illam magistrã experientiã, non humanæ mentis ingeniũ; ipsemet enim illius argumenta vidisti, & hujus quotidie experiris. Aureæ claves æstimatio, lectio, studium, & exercitatio, sed ô quàm multi has claves neglectim abijciunt, & socordiâ, ac tœdiô velut rubigine corrumpi sinunt! Vin' hujus mali causam? calamum, clavem hanc optimam non usurpant. Cùm enim post longum legendi, studendi, ac exercitandi laborem etiam fortiter, ac hilariter assumptum vident, oblivione præpediente sibi omnia clausa, recludendi conatum ponunt, & malunt se inermes incertæ fortunæ relinquere, quam nunquã profecturo conatu armaturæ insistere. Inde pessimâ sorte corripitur prima clavis & princeps rei sacræ existimatio. Hâc neglectâ nullo loco habetur pretium temporis, & studiositatis, deposito omni studendi animo nullus amplius est fructus, cùm studiorum nullus adsit usus.

Econtra verò; mecum in viri docti musæum, qui calamo velut aurea clavi utitur, & te potius, instructissimum contra quosvis hostes armamentarium, 155. *utilitatem*

tarium, quàm conclave ingredi existimabis. En tibi hîc longo ordine tot tormenta bellica, quot contra hostes argumenta; vis pulverem pyrium? vis globos ferreos? vis verres? vis arietes? vis pyloclastra? vis sclopos? vis jacula? tela, balistas, lanceas, sarissas? en quàm insigni serie singula quæque exhibere possit ad synceram ingenuæ, & liberæ mentis voluptatem! sine jam eum in rostrum velut campum procedere; & videbis armaturam hanc neutiquam esse pro sola ostentatione otiosam, sed pro communi emolumento salutarem. Vitiorum castra ingenti impetu invadit; nunc eminus, nunc cominus pugnat; nunc cæsim, nunc punctim ferit; nunc pleno ore fulminat; nunc fugam simulat, ut fortiùs irruat, in omnem denique belli aleam non minus se feliciter expeditum, quàm fortiter armatum convertit. Tantam pro alienis focis, & aris, contra hostes extraneos in homine, qui calamô scitè novit uti ad recludenda S. Scripturæ armamentaria, cùm videris dexteritatem, an minorem existimabis, si se, si mentem, si animi sui arcem impeti à concupiscentia, alióve hoste ad-

156. jucunditatem.

adverterit impugnari? quin mecum dices longè majorem. Tum enim agitur de majori momentô, non jam volonum ritu, ſed neceſſitate fortes animi ſpiritus concitante arma corripiuntur. Felix igitur, cui calami miniſterio in S. Scripturam aditus ſemper patet, ut in omnem belli fortunam expedita arma depromat. Hanc felicitatem, tuam facere potes Euſebi, ſi excerpta tua in uſus tuos converteris; ſi, quæ ad expurgandam à vitiis mentem conſcripſiſti, contra vitia velut ſelectiſſima arma conſtanter uſurpes. Porro ſi excerptis eo, quo volunt, modô utaris, non ſolùm tibi clavis erunt ad S. Scripturæ armamentarium argentea, ſed etiam aurea ad amoris templum. Hac reſerabis tibi illud magnificum ſacrarium, in quo invenies amicos amore tuo digniſſimos, ac ita neceſſarios, ut ſine eis amorem tuum nunquam bene elocare poſſis: invenies Angelorum catervas, Cœlitum turmas, invenies Divinam Matrem, invenies Servatorem tuum, invenies Deum tuum. Quid hoc aſpectu jucundius mentis noſtræ oculis obiici poteſt? Et hunc tam jucundum hujus chariſſimæ turbæ aſpe-

ctum

ctum Eusebi non solùm tibi polliceor, sed etiam, cùm ita illa velit, promitto, consuetudinem. O Eusebi ô quàm ardenter amabis, quorum gesta in tua narthecia deducta statis horis revolvis, imitaris, ac extollis! Sunt Divorum gesta flammæ: accendunt; sunt gemmæ: ornant; sunt opes: ditant. His flammis succensus, his gemmis ornatus, his opibus ditatus non potes non cœlitibus, cùm sui imaginem in te velut in speculo videant, placere. Quid dicamus jam de Divorum Regina, de Sanctorum Rege, si utriusque admiranda facinora, & dicta in excerpta tua, traxeris, ut singula in usum tuæ mentis aut imitatione, aut admiratione deducas?

§. III.

Deducere Notas ad præcipua exercitia Hominis interni.

157. *Usurpare Notas ad meditationem in*

HIs commodis ingens novæ utilitatis cumulus accedet, si rebus omnibus, queis potissimùm mentis cultura peragitur, excerpta tua prudenter adhibueris. Reducuntur autem ea potissimùm ad tria capita, orationem, examen conscientiæ, & operationem

rationem. In illa, quæ agenda ſunt, diſponimus; in iſto, quæ acta ſunt, diſcutimus, in hac, quæ agentis ſint, attendimus. Vis igitur Euſebi ad cujusdam virtutis ſtudium te excitare, aſſume illum rationum, exemplorum dictorúmve apparatum, quem in excerpta congeſſiſti; ſeriò perpende eorum pulchritudinem, neceſſitatem, merita, & præmia, oppoſiti vitii damna, & ſupplicia. Et erit tibi utiliſſima per integros menſes meditandi materia eò utilior, quò magis tua, & tuis uſibus accommodatior. Quid autem genio, moribus, ac vitæ rationi conformius, ac quod longo uſu ex ſelectiſſimis libris ad commoda noſtra in chartas conveximus? Experientiâ diſcimus iis fructibus, quos nos ipſi conſevimus, in animæ noſtræ alimoniam longè melius converti. Volunt nempe boni Cœlites præmiari labores dulcedine frugum, quos difficili cultura non gravabamur afferre.

Non minus quoque utili ratione Divorum tibi amores, & favores conciliabis, ſi ad feſtas eorum dies ritè celebrandas deſumpſeris ex Notis tuis ea argumenta, quæ te exſtimulent, ut eis nunc gratuleris æternam in cæ-

Feſtis Sanctorum, de

lis

lis gloriam; nunc petas ab eis potentissimam in terris tutelam. Agis festivam cujusdam Martyris, Virginísve lucem? ô quanta & illum, & istam amandi, colendi, & demerendi argumenta solus titulus *Fides*, & *Castitas* præbebit! In utroque invenies, quæ illum, & istam permoverint, ut ille omnia tormenta, hæc omnes voluptates contemneret. Videbis in una tituli facie velut in theatro, ut Christianis sacris testimonium ferant, alios insilire in rogos, alios ascendere furcas, properare in ergastula, haurire venena; alios gaudere in vinculis, inter flagella, & immanissima tormenta tripudiare. Cumque videris purpuratos hos athletas pro testamento Christi, nomine, & numine omnem per ultima quæque supplicia sanquinem expendere, an non intimo mentis jubilo tam gloriosis victoribus accines triumphos? an non erubesces tuam pro fide socordiam; an non statues facinus his ducibus dignum? En tibi quanta in uno bono bona, in uno commodo commoda, in uno lucro lucra! Hæc bona haud facilè inveniet, nisi qui sua excerpta gnaviter instructa usurpabit. Quod enim

gestis Sanctorum

enim in libris longo legendi ſtudio comparatur, id in Notis uno velut obtutu oculis objicitur, ac menti ad concitandum quemvis pium affectum apponitur, ut mirum non ſit, ſi his ſpiritûs delitiis paſta convaleſcat, ac roboretur ad longè majora molimina, quam hujusce rei expertes nunquam auſi fuiſſent ſomniare. Si tanta ineſt vis geſtis Divorum, cùm in Notas relata ad mentalis, ut vocamus, orationis uſum trahuntur. Quid dicemus de Sanctorum Anteſignana Maria? de virtutum Magiſtro Chriſto? de Deo ipſo omnis boni primo fonte, ſi eorum dicta, & facta, conſilia, & præcepta, minas, & illicia pari ſtudio in rem tuam derivaveris? Evades profectò eloquentiſſimus orator, Cœlitum, Dei ipſius auribus placebis, & in tua vota maximo tuo meritô divinam liberalitatem feliciter perſuadebis.

155. B. V. Maria Chriſto, & Deo.

Par, ſi non major vis ineſt examini, quod dicimus, conſcientiæ; & meditationi; parem igitur etiam fructum ex illo hauries, ſi eadem induſtriâ Notarum uſum pertractabis. Conſtat id quinque partibus, ſingulas dicamus novas meritorum aurifodinas.

examen conſcientiæ

C Primam

Primam occupas, cùm debitas Numini pro acceptis beneficiis grates persolvis; alterã tractas, cùm lumen divinũ efflagitas, ut conscientiæ tuæ latebras ritè possis discutere; dehinc velut sumpto hoc lumine ingrederis mentem, ac lustras singula virtutum conclavia, & vitiorum angulos; quarto dein locô, si videris virtuti; gratitudine: si vitio factam accessionem, doloris affectu mentis tuæ sortem prosequéris. Ultima demum pars tota est in sanciendis novis decretis tam emundandæ, quàm emendandæ vitæ idoneis. Hos numeros Eusebi ut factô insigniter impleas, plurimùm emolumenti confert cuivis puncto quædam ex Notis præmissa veritas, ac ea non industriâ quæsita, sed prout series, & ordo tituli ferebat, obvia. Atque id iis potissimùm persuasum velim, qui tam beatâ temporis copiâ perfruuntur, ut cuivis conscientiæ lustrationi horæ quadrantem dare possint. Da mihi jam mentis suæ studiosum arbitrum, qui sua studia aquirendæ vivæ fidei confert. Legat primam) seu dictum sit, seu factum) in titulo *Fides* eruditionem, ô quam fervidam, si sciverit res sacras digna æstimatione librare,
eli-

eliciet gratiarum actionem! Legat secundam & sentiet suæ menti velut quosdam igniculos injici, queis videat vias petendi cœleste lumen ratione prorsus singulari. Idem judicium si tu feras de ipso scrutinio, de dolore, de emendandæ vitæ proposito, ex judicij tui legibus, instituta mentis lustratione, plus meriti, honoris, quietis, commodique referes, quàm si magnarum provinciarum Dominus effectus, urbes, & oppida lustrares. Ac id facilè mihi concedes; etsi de peccati horrore, & studio virtutis; de curâ sui, temporis, litterarum, aliorumque seu bonorum, seu malorum, quæ mentes humanas comitari solent; conscientiæ tamen examini ceu fructus inserendi aut lolia evellenda debentur, taceamus; numeremus autem solam illam amicorum, quam nobis ea ratione comparamus, multitudinem. Nam quotquot Cœlitum ut ut nomine, gloriâ, dignitate, ac statu diversos recenseas, omnes in eo conveniunt, in quo nos sibi volunt simillimos in studio nempe mentis. studium autem mentis, absolutissimum dixerim, si sciveris malum fortiter propulsare, & bonum efficaciter petere.

opsrationem Nosti hoc meditandi, illud in conscientiam inquirendi curâ confici, audisti & illius, & hujus curam fore maximis plenissimam bonis, si utrique materiem tuô studio, calamoque paraveris. In tuum igitur arbitrium, calamum, calamique usum tua collocata est felicitas. Si tibi solus vacas, scribe tibi soli facienda; & quæ scripsisti, cura, ut facias; ut autem cures, Notis tuis utere, velut armis in hostes; & velut vinculis in amicos. Ea ratione illos semper fortiter propulsabis, hos tibi peramanter obstringes. Erítque mens tua tam inferis terribilis, quàm superis grata, ac tantus tibi erit constanter ardor, ne illis in ullo cedas; quantus tibi erit, ut te istis totum concedas. A. Apoc. 5. 1.

CAPUT II.

Ordinare Notas ad culturam Corporis.

159. *Uti Notis ad culturam corporis*

E*Ubulus.* Est equidem animus nobilior nostri, & potior pars, ac proin princeps, ipsi debetur cura, ut non solùm eximius sit ab iis malis, quæ mortifera dicimus; sed etiam illis, quæ menti labem quandam modicam inspergere possunt. Verumtamen ut animo

nimo ſua firmiter conſtet felicitas, cultura corporis haudquaquam deponenda eſt, ſed ſecundis ſtatim curis aſſumenda. Nam quotquot hanc mortalem vitam vivimus, corpore ceu hoſpitio utimur. Si igitur velis ut mens tua in ſuo hoc hoſpitio aut labem nullam contrahat, aut periculum nullum incurrat; ſed ſe immaculatam, tutamque conſervet; præ primis opus eſt, ut vivum hoc hoſpitium ſit mundum, & hoſtibus quibuslibet opeſſuletur. Aut ſi mavis corpus noſtrum mancipium eſt, & domina mens, mancipium ſummè neceſſarium, utileque, ſi pareat ad nutum dominæ, ſed hoſtis nullus peior, ſi detrectet obedientiam. Mens tua mi Euſebi velut magna domina in arce inſignis litteraturæ & virtutis magna pace ſedebit, ſi pacem non turbârit; aut (quod multis eveniſſe dolemus) arcem doctrinæ & virtutis non everterit corpus tuum, mancipium tuum. Ut igitur Notis ad magnum tuum emolumentum utâre, magnoperè neceſſarium eſſe æſtima, qua tandem ratione hocce mancipium ad mentis tuæ obſequia compellas.

§. I.

Alimoniæ ritum ſumere ex Notis.

160, *refectionem inſtituendam tempore debito.*

EGo ſi eam rem è commodis tuis dimetior, tria potiſſimùm præcepta regundo huic, de quo nobis ſermo, mancipio inculcata velim. Primâ lege regis corpus tuum, cùm menti paret; altera, cùm patitur; tertia cùm rebellat. Cùm rebellat corpus tuum, debes illi torturam; cùm patitur, tutelam; cùm paret, alimoniam.

Euſebius. Audio magnam litteraturam magnis mentibus, & varia eruditione multo tempore excultis frequenter ab infruniti corporis tyrannide miſerè diripi: ut ergo id periculi à me trina tua alimoniæ, tutelæ, & torturæ lege propulſem, quam mihi rationem in quavis tenendam monſtras? *Eubulus* arduam quidem initiô, ſuavem tamen, ſi in conſuetudinem deduxeris. Imprimis itaque ut corpori præbeas debitam alimoniam, conſidera finem edendi. Edis, ut vivas, & bene vivas. Non autem ille bene vivit, qui è voluptatis lege, ſed qui ad virtutis normam vivit. Illa ergo ſola paſcendi corporis ratio admittenda eſt, quam

quam virtus non damnat, ſed probat. ut autem ea ratio probetur, multa tibi aſpicienda, & ſervanda ſunt; tempus, modus, locus; quantum præterea, & quale nutrimentum ſit admittendum. Omnem itaque edendi, bibendíve libidinem alieniſſimam æſtima ab homine litterarum amante, præcipuè ſi illa ſe audeat etiam extra conſueta geminæ refectionis tempora exporrigere. Ea res ut ut inimica eſt corporis valetudini, longè tamen truculentiùs graſſatur in valetudinem mentis. E medices dogmatis exploratiſſimum habemus conſuetudine edendi extra menſæ tempora, abbreviari vitæ tempora. Ex ſyncerae Theologiæ certis argumentis, longâ præterea experientiâ, & ipſa virtutis natura, vitiorumque indole perſpicuè ſcimus, virtutem à nemine peius haberi, quàm ab iis, qui omne tempus paſcendo corpori aptum cenſent. Si jam daremus homini ingenuo hujus conſuetudinis damna tam magna non eſſe, quin facilè poſſint reſarciri; nunquam tamen permiſſurus eſſet, eâ ſe vel modicè capi hoc ſolo nomine, quòd & ipsa ſit ad honeſtatem inutilis, & multarum inutilium rerum, ſermonum, operumque

ſeminarium. Quid inter homines, quos ipſa ſtatûs, quem colunt, ſanctitas ad virtutis ſtudia compellere debet, fœdius, quàm amicitiæ leges inordinatis poculis fœdare, & tamen hæc pulchra parens ſibi ſimillimam, prolem peperit exiſtimationem illam, quâ plerique peſſimè decepti autumant, charitatis ignem conſervari non poſſe, niſi vinum affundatur. Econtra verò retrogradâ memoriâ mecum illa tempora adito, quæ hoc vitio nondum fœdata erant, & invenies amicum inviſendi leges ſola ſobrietate magiſtra ſtetiſſe. In hujuſce rei teſtimonium tibi ampliſſimos totius ordinis noſtri faſtos afferre poſſem. Cùm enim majores noſtri eo ſolùm nomine convenirent, ut mentem paſcerent, in ſacra de divinis colloquia eo fructu digrediebantur, ut, qui forſan in virtutis ſemita jam hæſerat, iter ſpiritualis perfectionis longè ardentiùs acceleraret. Ad hæc quî evadent hi edones (bibones nolent dici, & meliori nomenclatura non poſſum inſignire) gulæ tyrrannidem? Viri maximi timent, horrent, & triclinium ut prælii locum adeunt, ne ab hoſte ſuperentur. Magnum illi exiſtiment magni

magni moliminis opus gulam quotidie bis vicisse, cùm tamen abstinentiâ, sobrietate velut cataphracti incedant, nec reliquâ virtutum armaturâ careant. Quommodo igitur vincent illi, qui inermes , nullâ verâ virtute tecti, in media se pericula conjiciunt? ac uno die toties, quoties ipse hostis, edendi, bibendíque voluptas expetit? Nec dicant hi, à se in extemporaneis poculis non voluptatem, sed sanitatem quæri , ac proin à se nil hostile timeri, ubi hostis nullus sit. Nam qua id fronte dicere possent , cùm DEUS ipse belli sacri supremus Induperator ad mensam ut ad pugnam vocet. Non solis Ephesiis (a) clamat in vino luxuriam esse; qua quis hostis nocentior? gulæ illecebris otium gigni ; quo quid nefastius ? consuetudine edendi , præcipuè si nullâ temporis lege constricta sit , extinqui appetitum rerum sacrum; quo morbo, qui militibus Christi nocentior ? Noverat hæc ille in divina militia emeritus miles, qui potum suum (b) cum fletu miscebat. Credamus ergo illis, qui dicunt, scientias omnes, virtutes quasque longè feliciori sorte usuras , si earum decor extemporaneis poculis non

pollueretur. Probârunt namque ſuam ſententiam dictis & factis Majorum noſtrorum, probârunt hoc cibi, potûsque uſu valetudinem non quæri, ſed perdi; probârunt ingenia ad artes liberales non acui, ſed hebetari. Et quæſo quando hi homines, qui non tam nutriri, quàm ſaginari volunt, illud tam neceſſarium, à ſacræ vitæ magiſtris toties ſuaſum, à Servatore tam graviter inculcatum ſui odium exercebunt? gulæque infrunitam libidinem reprimentes? ſi quamlibet modicam ſitim velut liquidam cauſam habent evertendi ab ipſa natura ſancitas edendi horas? Anne hi gulæ habenas retinebunt, cùm conſuetæ menſæ aſſident, ſi liberrimas relinquunt, cùm ratio, natura, tot bonorum exempla cohibere deberent?

161. *menſa* Cùm ergo omne tempus ſit ipſis tempus edendi ſine fræno, eo nomine evadunt brutis ſimillimi, etſi ſe humanitatis veſte palliare millies conentur Nec abnuo poculis iſtis nonnunquam nutriri amorem inter vicinos, ſed ali eum honeſtum amorem, qui virtutem nu-

nutriat & augeat, nunquam conceſſero. Quæ autem laus, quódve emolumentum rebus tuis accedit, ſi ameris ab iis, qui honeſtatem nec æſtimant, nec ſequuntur; & ameris eo nomine, quòd te ſibi ſimilem videant in materia delinquendi? Et tollamns hæc omnia, non tamen poſſent hæc pocula eſſe ſalutaria, quòd miſceantur frequenter ab eo, qui cicutam ad animæ noſtræ exitium circumfert, infernali Circéo, conciteturque ab eo ſitis, ut miſeri venenum pro ambroſia bibamus. Vis oculatos teſtes? Ex centenis unam (c) Aldegundem V. ſiſto. Fors ſub mediam noctem ingenti ſiti, corripitur, in arido palato vix jam ſiccam linquam movere valet, fauces arent, viſcera torrentur, ut ſe non jam ſiti, ſed morte urgeri cenſeret. Effundit virgo animum in liquidas ad Deum preces. Videt illico monſtrum horridum, fædum, terribile ex orco ſubmiſſum. Adiurat illa cacodæmonem, ac quid hîc ageret, interpellato Dei nomine effari jubet. Coactus ille, ego inquit; huc veni, ut eam, qua torqueris ſitim concitarem, & torturæ magnitudine etiam ad modicum frigidæ hauſtum con-

contra consueti temporis religionem te pertraherem. Hæc dixit, & ex oculis evanuit. Vellem autem ego Eusebi hunc pocillatorem nunquam ex oculis dimitterent, ij, qui pro consuetudine sine ullo temporis selectu potum, cibúmque admittunt. Ut eorum numerô nunquam censearis, utere excerptis tuis, iisque tibi nauseam excita hujus vagæ, & nullum tempus reverentis gulæ. O quam efficaces ad conficiendam hanc tam menti, quàm corpori saluberrimam medicinam, herbas, succos, vires, pharmaca Titulus *Tempus*, *Virtus*, aliique suppeditabunt, si junxeris amorores, quos propinant titulus *Gula*, *Acedia*, *Otium*, *Peccatum*, aliique, quos brevita-

162. *modô probo.* tis amor non sinit recensere! Hac ratione si steterit refectioni sua temporis religio, ex Notis tuis facilè addisces modum reficiendi, ut cibum nunquam contra decori leges deproperes, aut notâ oris minus sapida à sapidis dijudices; sed ita mensæ assideas, ut, qui te contuentur, videant, te quidem edere, & bibere, non tamen corpori; sed menti.

loco designato De loco, de qualitate, de quantitate haud opus est, ut quidquam memorem: eam in rem præbebunt

bebunt tituli *Industria, Temperantia* aliique agnati utilissimam simúlque jucundissimam materiem. Ex iis hauries tantum gulæ odium, quantum sobrietatis amorem, utrumque nempe maximum. Hoc amore succensus tui dominus etiam inter magnas illecebrantis gulæ insidias eris, hoc odio roboratus nulli vitiorum servies. Sic liber O quoties exspatiaberis per jucundissimos Notarum campos! quanta voluptate perfunderis, cùm nunc in mentis tuæ oculos incurrent Martyrum sanquine purpurata roseta, Virginum angelico candore inspersa lilieta, & cætera Divorum omnibus virtutum floribus referta tempe! Hæc roseta, hæc lilieta, hæc tempe adeundi consuetudo non solùm erit plenissima tenerrimæ voluptatis, sed etiam abundans varia honorum utilitate. Cùm aliis, queis edendi magistra voluptas est, in angulo cum indigerie interea litigandum, ac pepsis magna capitis, & stomachi tortura quærenda est, tu rosas, & lilia, violas, & tulipas, narcissos, & heliotropia decerpes, ac floribus virtutum mores tuos exornabis. O te felicem, si hâc tuâ fortunâ constanter utaris!

qualitate prudenti

quantitate conformi; seu

§. II.

§. II.

Ad amuſſim excerptorum corpus caſtigare.

163. mancipij

VErùm ne hac felicitate infeliciter exuaris, nunquam fidendum eſt corpori. Mancipium eſt, aſinus eſt, terra eſt; niſi prematur, inſoleſcit; niſi pungatur, pigreſcit; niſi ſulcetur, ſterileſcit. Noveris igitur, quid huic mancipio, huic aſino, huic terræ debeas. Mancipium nutritur, & veſtitur nulla voluptate, ſed neceſſitate, quidquid laborat, domino fructificet neceſſe eſt. Si feriatur ultra leges domini, vapulat; nunquam à verbere ſe præſtat eximium, niſi omni ſe luxu diſpoliet, ac ſolis domini emolumentis inſudet. Ita quoque animus ingenuus, qui mancipatum corporis evaſit, idque ſub jugum redegit, victum quidem, & amictum præbet, nullâ tamen voluptatis illecebrâ, ſed ſolâ neceſſitatis lege. O Quanta ſpiritûs libertate pollerent homines, ſi corporis debita circumſcriberent ſola neceſſitate! Hanc gnomen, quia ſollicitè non capimus, plerique ſeducimur, & animum à corpore in miſeram ſervitutem abduci ſinimus,

facti

facti mancipia mancipiorum. Et quod in hoc mancipatu pessimum, non credimus nostra nos libertate exutos, ac in ipsa captivitate ceu liberi liberè tripudiamus. Quis in risus effusior, in ineptam lætitiam pronior, temporis, & seriæ sui curæ negligentior, quàm qui in regendo corpore à nessitatis legibus discedit? In tali homine eversa sunt omnia præter externam hominis formam, non animus corpori, & sensibus, sed corpus, & sensus animo leges permultas ferunt, earumque rigidam observantiam titulô necessitatis urgent, exaggerant, & inculcant. Sitiat talis homo, frigeat modicùm, lassetur parùm; illico necessitatem obtrudit; nullâ habitâ religione temporis afferri potus, calefieri fornax, & parari fomentum debet. sicque mirabili talione agitur, ut, qui necessitatis legibus noluerunt corpus suum regere velut domini, necessitate regantur à corpore ut mancipia. Ad cumulum miseriarum, quæ in hoc mancipatu involvunt animum, accedit ipse, qui maximè mentem deberet in libertatem asserere, intellectus, cùm se sinit tam infeliciter excæcari, ut quidquid imaginatio, & sensuum impotens libido dixerit lubitum, is approbet ut summè ne-

necessarium; & sic fit, ut homo nullâ verâ honestate, sed fucatâ solùm regatur. Hæc regiminis à mente in sensum translatio licet sit creberrima, eamque quamvis omnes detestemur ceu turpissimam, quodam tamen fascinô ligati non advertimus animum suô dominiô exutum corpori servire. Et cur ferimus hanc tyrannidem, nisi quód tyrannum (sensum inquam) pro Rege, animo veneremur? Quid consilij, quid auxilij, ut animum suo regno restituamus Eusebi? Consilium ab illo cape, qui consilia sua fulcit gratiâ sua, nempe à Deo. Oderis inquit ille (d) corpus, servire compellas menti, & omni ejus sensuum familiæ, rationis, fidei, & virtutis regulâ moderare. Quidquid igitur concedis corpori, concede, ut serviat, ut laboret, nec illi alium laboris fructum concedas, quàm vitæ,& valetudinis, cætera cedant animo, ad ornatum, & emolumentum. Vin' jam scire leges edendi, bibendi, dormiendi, cæterarumque, quæ corpori debemus, rerum utilissima præcepta? Tantùm ede, bibe, dormi, quantùm prudentia postulârit, ut stent suæ corpori vires, queis menti serviat. Qui

plus

plus audet, non jam ſervum, ſed hoſtem nutrit. Si omnem hanc curam impenderis, ſæpe tamen te à ſenſibus deluſum invenies, & non rarò ſeducentium ſenſuum detrimenta diu antè feres, quàm ſentias. Si tuus es, & mentem curas, noli tum parcere, ſed quodam ſupplicio in rebelle corpus vindica. Optimum ſupplicium pœna talionis: gula jejunio, pigritia labore, loquacitas ſilentio caſtigetur. Sic facilè redimes damna noxæ præteritæ, & futuræ cavebis.

164. *Aſini*

At verò nobis non ſolùm cum mancipio, ſed etiam cum aſino negotium eſt Euſebi. Corpus noſtrum aſinus eſt, utilis, ſed piger; robuſtus, ſed aſtutus; cæcus, ſed tractabilis. Quidquid animus in hac mortali vita molitur, absque corporis miniſterio nunquam confecerit. Quod onera, tot commoda feret aſinus iſte menti tuæ, ſi ſtimulô pulſetur. Peſſimo ritu ſuum aſinum habent, qui vires ſui corporis perpetuò futuris laboribus ſervant, & præſentes negligunt. Aſinus oneri à primis annis aſſuefaciendus eſt, corpus labori. Minuit, non firmat robur, cui robori nullum exercitium eſt. Duris creſcimus om-

nes, & mollibus enervamur. Pejus agunt, qui corpori plus æquo credunt, pigrum eſt, & ſæpe pro ægritudine mentitur ſocordiam. Prô quantùm ſe decipiunt, qui corpori nimiùm credunt; ſi parùm laſſeſcit, illico exonerant! ſi modicùm langueſcit, propediem medicam fatigant! Qui ſic corpus ſuum habent, neſciunt ſibi negotium eſſe cum pigerrimo aſinô. Tu ne hos inter unquam cenſeáre, lege eos libros, qui fraudes iſtas dexterrimè detegunt. Si legeris, & lecta benè perpenderis, ſatis mirari non poteris, minus numerare damna, quæ ob hujuſce rei ignorantiam incurrimus. Invenies corpus noſtrum eſſe magnis laboribus, & ad ultimam ſenectutem aliquibus, continuis tamen ferendis par; quid quòd id ipſis laboribus firmari. Invenies Clodulphos, Pariſios, Romualdos, alióſque res maximas maximô ſtudiô aggreſſos, inter decumana tamen negotia ad Macrobij tempora perveniſſe, vitam ad 100. ad 117. ad 125. annos perduxiſſe, floridæ juventutis vigorem in aliena ætate conſervâſſe; ſuæ verò cutis ſtudioſiſſimos Narciſſos ceu fragiles flores in ipſo annorum vere præmaturùm

turùm exaruiſſe. Invenies neminem unquàm, magis, aut diutius ægrotâſſe, quàm qui quamlibet ægritudinem ſtudiô non ſatis cauto propulſare laborârunt; eos autem, qui ſui curâ pro medica, rigore pro medicamine, jejuniô pro pharmacô uſi ſunt, morbis morborumque periculis ſe facilè expediiſſe. Si hæc, & plura alia inveneris, deprehendes aſtus aſini tui, corporis tui, & ſenſualitatis tuæ, deteſtaberis, & condigno ſupplicio caſtigabis. Verumtamen cùm corpus noſtrum cæcus aſinus ſit, per regiam prudentiæ viam dirigendus erit, & non per declivia indiſcreti rigoris agendus. Eam dirigendi curam ſi ſibi aurigera mens ſumpſerit, per tritam virtutis ſemitam compendiô perducet.

§. III.

Diſcere ex Notis ſacram agriculturam.

MUltùm quidem Euſebi virtutis honores, & probitatis divitias mens humana exaugebit, ſi dominæ, & aurigæ munera conſtanter expleverit: ut tamen utriuſque fructus etiam metere poſſit, agricolæ laborem capere non dedignetur. Eſt enim 165. terra

corpus noſtrum terra ſterilis, niſi colatur; terra nuda: niſi ſepiatur; terra arida, niſi rigetur. Terra non niſi lolia progignit, niſi perpetuo ſcindatur, aretur ſolicitè, & ſtudioſè occetur. Inſeras licet, optimum ſemen, ſterilem tamen laborem laborabis, niſi ager ſubigatur, & recipiendo ſemini aptetur. Ita quoque corpus noſtrum vitiorum zizaniis ſylveſcit, niſi ligones, rigores quoſdam admittat. Qui igitur ſui corporis culturam utiliter curat, magnopere attendit, ne debitæ diligentiæ neglectu ſenſualitas protuberet in noxas, vel noxias herbas. Eas ut primùm viſu deprehenderit, raſtrô mortificationis evellit. Non cæco fertur impetu in ſui cultura, ſed tempora explorat ad leges aſtrorum, lunæ, & ſolis: fertiliſſima inquam Chriſti, ô quanti ſolis! Deiparæ, ô quantæ Lunæ! Divorum, ô quantorum aſtrorum! ſigna inſpicit, ex horum aſpectu diſcit, an in ſterile corpus uſurpandus flagelli ligo, an cilicij aratrum? an jeiunij occa? an aliud ſacræ agriculturæ inſtrumentum? O Beatum agricolam, qui agrum corporis ſui ad tam fertilium ſignorũ aſpectum colit! quàm magnos meritorum ma-

ſterilis

ni pulc

nipulos in animæ ſuæ horrea congregabit! Quid igitur mirum, ſi ex omnibus membris corporis ad eum modum culti pulcherrima modeſtiæ temperantiæ, ſobrietatis, aliarumque virtutum ſemina pullulabunt?

At licet hæc ſpes prudentem agricolam ex merito lactare queat, ne tamen ea fallat, non minorem curam impendere debet, ut agrum corporis ſui ſepiat, quàm colat. Inſidiantur námque virtutum ſementi nocentiſſima animalia, quæ, niſi ſepe arceantur, ſpem fæcundæ meſſis omnem miſerè depaſcent. Tale, tamque nocivum animal eſſe curioſitatem, eſſe illecebras colorum, odorum, & ſonorum, eſſe cæteram ſenſuum libidinem, quis neſcire poteſt, cùm fere nemo ſit, qui illorum luculenta damna non perſentiſcat? Sepiendi ergo ſunt oculi, ut non pateant curioſitati; ſepiendæ aures, ſepienda omnia corporis latera, ut aditu prohibeatur omne id, quod culturam noſtram poteſt demoliri.

nudæ

Id ſi curaveris, rogandus ter opt. Deus, ut fæcundum gratiæ ſuæ imbrem liberaliter demittat. Sine hoc imbre ſemina conatuum tuorum prius areſcent, quàm radicem figant; ac

aridæ

culturæ ſtudium prius ceu inutile dimittes, quàm nullum fructum capias. Nullam proin diem dilabi ſinito, qua non hunc tam neceſſarium imbrem petas. Si fervidè petieris, impetrabis. Siquidem ipſæ orationes ſunt fertiles pluviæ, ac quoties funduntur, virtutum germina recreant, augent, & fæcundant. Ne autem huic utiliſſimo ſacræ culturæ labori unquam ſuccumbas, ſuſpice Dei, qui ſe tuo bono agricolam nominare (e) voluit, exempla; ſuſpice Chriſti dogmata, & tot Sanctorum dicta, & facta. Hæc omnia ingenti tuo commodo in excerptis tuis reperies. Totus liber ſeptimus omnibus ſuis cum titulis in eo eſt, ut in inſignem agricolam efformêris. Pari fæcunditate abundat decimus, ut de Vagis *Induſtria*, *Pœna*, *Gratia*, ac aliis nil dicamus. Vides itaque Euſebi quantis bonis diteſcat, qui calami ſibi opes parat, & uſurpat! ſed nondum ſatis.

§. IV.

Habere ex regulis Notarum corpus velut ſocium mentis.

166. Quamvis exploratiſſimum habeamus Euſebi potiorem hominum

minum partem in voluptates miſerè propendere, & à ſui rigore vivere alieniſſimam, ac proin nullum frænum videatur eſſe neceſſarium, ut à rigore ad illecebras adeo proclives mortales retrahantur; verumtamen cùm virtus mediam ingrediatur viam, & vitium utrumque latus non minus occupet, ac ad ſuam ſemitam alliciat; ſtudio quoque opus erit, ne cùm à voluptatis calle non ſatis cautâ fugâ recedimus, in nimiæ ſeveritatis devia abducamur. Ut igitur regiâ viâ incedas Euſebi, tua tibi excerpta ad dubia bivia velut notas, & indices collocabis, & corpus tuum ſicut viatorem habebis. Et profectò nomen, & laborem viatoris circumferimus. Semper eundum eſt, & ad patriam cœleſtem tendendum. Quisquis progrediendi curam vel modicùm deponit, jam redit, deviat, & niſi inſtauret procedendi ſtudia, in prædones incidet. Mens deſideriis, corpus pedibus procedat neceſſe eſt, illa piis laboribus, Mens alis intellectûs, & voluntatis volat, corpus pedes incedit; illa ſpiritualibus cibis nutritur, hoc reficitur terrenis.

itinere

diligentis

Ut igitur duo hi tam diſpares viatores ad virtutis terminum ſimul pertingant, magna mi Euſebi & curâ,& prudentia opus eſt. Me judice illa mens conviatorem ſuum (corpus dico) per virtutis ſemitam omnium optimè ducit, quæ attendit ad viæ difficultates, & corporis vires. Si illas, & iſtas noveris, facilè diſces, ne corpori concedas ſuperflua, aut ſubducas neceſſaria. Tantum itaque cibi, potûs, ſomni cape, quantum neceſſarium putas, ut poſſis progredi. Hæc optima viatoris lex peſſimè violatur, & nunquã ſine damno. Si enim ſeu eſu, ſeu potu in hanc legem delinquas; nec iſte, nec ille erit uſui, ſed oneri. Cùm ſomni ſit par lex, par eſt violatæ legis damnum: quidquid enim temporis das ſomno non neceſſario, furaris itineris commodo. Tempus vitæ noſtræ eſt unica dies conceſſa viandi negotio: properet ergo neceſſe eſt, qui ſerio contendit ad terminum: abiiciat, quod gravat, & parvam moram ſuperfluæ quietis ſine laſſitudine haud redimendam credat. Præcedentem ſequi facilè, jam progreſſum aſſequi difficilè eſt. Vides ſodales tuos per virtutis, & doctrinæ ſemitam certatim

pro-

progredi? non lactes pigritiam tuam inani ſpe, & neſcio quâ præſidentiâ, te prægreſſos aſſecuturum. Ni moras tollas, pigritia corporis tui eodem aſtu tibi aufferet animum aſſequendi longiùs progreſſos, quo abſtulit ſtudium ſequendi modô primùm abeuntes. Aliis hominibus ſi liceret tempus prodigere, non liceret viatoribus: hos enim ſi tempus deſtituat, ſpes omnis perveniendi ad terminum præſcinditur. Alius tempus futurum ſæpius opportunè exſpectat, viatori nil proderit futurum, niſi arripiat præſens. Præteriti temporis diſpendia fac, ſint tibi argumenta futuri. Niſi ſeriò utaris omni præſenti tempore, inadvertenti breve illud, quod futurum eſt, tam miſerè aufferetur, quam miſerè ablatum erat, quod præteritum eſt. Heu nos ſtultos viatores! propriâ conſcientiâ, longa experientiâ, magna jacturâ convicti, edocti, & præmoniti ſcimus majora nos nunquam incurriſſe mala, quàm incuriâ currendi. Sapere diſce Euſebi damno alieno, & quidquid pigrum viatorem noſtrum aut morari, aut onerare poteſt, perniciter abjice. Quidquid corpori concedis ad uſum, vide

 an

prudentis an conducat, ad viæ terminum. Terminus viæ eſt virtus, cœlum, Deus. Ad hunc terminum non pervenies ſine labore pro varia temporis, & occupationis ratione nunc magno , nunc parvo , nunc mediocri. Viatorem ergo imitare, qui per arduos anfractus, & per plana pratorum non æquali greſſu incedit; ut illos ſuperet, majori,& meliori curâ, & quiete eundi vires inſtaurat ; iſta conſueto ritu aggreditur. Ita quoque laboris , ac ſtudij tui magnitudo eſto tibi lex curandi corporis. Si impervij prope receſſus Philoſophiæ adeundi, aut ardui Theologiæ montes conſcendendi,major corporis , & virium ratio habenda eſt, quàm ſi planum cujusdam ſcientiæ iter relegeres. Quid quòd etſi viator per tritam viam incedat, & nullis aut ſcopulis difficilem, aut montibus arduam , aut ſylvis deviam; divertat tamen nonnunquam neceſſe eſt, curétque corpus ; ne flacceſcentibus viribus prius ſuccumbat, quàm ad terminum viæ pertingat. Ad eum prorſus modum ſi virtutis iter feliciter conficere cupis, ſummopere neceſſarium eſt, ut per debita intervalla divertas, viresque detritas quiete, curarumque exoneratione, ac juſta re-

fectione inſtaures. Sed tum memento te viatorem, ne quieti, ac relaxationi plus temporis, ac animi des, quàm itineris tui ratio poſtulârit. *167. conſuetudine*

Porrò Euſebi nemo ſolus vadit per hanc mortalis vitæ ſemitam. Sequimur præeuntes & nos prægreſſos ſequuntur alij : undique conviatorum ſocietate cingimur. Tot numeras in itinere comites, quot habes in tuo cœtu, & convictu ſocios. Omnes eunt (omnes namque virtuti ſacramentum diximus, & ſocordiam in ſalutis negotio abiecimus) & forſan aliqui etiam currunt. Magnum proin tibi negotium incumbit, ne cuiquam ſis ſeu eunti, ſeu currenti obſtaculum, ſed ut tu ſis ſequentibus, & ut præeuntes ſint tibi exemplum. Ex his optimè intelligis, quàm procul ablegandus ſit à ſacro viatore omnis ille geſtus pedum, omnis ille ſermo, omnis illa actio, à quæ ſocios minimè morari poſſet. Abſit obſtrepera lingua, riſus excuſſus, aliusvé ſtrepitus, quem noveris ſociis tuis ingratum, aut etiam eorum labori nocivum. Cùm in oratorio precibus, in muſæo ſtudiis, in triclinio alimentis vacas, cura præ cæteris, ne membris tuis ſtrepitum quendam edas,

das, qui præſentiam tuam notet, & reddat exoſam. Sunt nonnulli, qui eum conſibilante ſtridentis linquæ muſſitatione ſtrepitum conſciſcunt, velut ſi in Batrachomyomachiâ tibicinis officio fungerentur; aut ſi domum, vel conclave adeunt, eum in inceſſu fragorem concitant, ceu ocreati equites è Capitolio triumphantis Romæ redirent; aut ſi conſident, eum corporis habitum oculis objiciunt, ut dubitare poſſis, an non abortientis naturæ vitium monſtri inſtar ex utero traxerint. Hi ſociis mali ſunt, ſibi peſſimi, ac iter ſibi, & illis ſufflaminant. Ita enim nos miſeri viatores naturâ comparati ſumus, ut facilè inſiſtamus præeuntium veſtigiis, cúmque deberemus non tam viæ ſocium, quàm viam attendere, ſinimus nos facillimè per devia inconſultè abduci. Non inveneris aut planiorem, aut jucundiorem præſertim litterarum amantibus viam, quàm quæ ducit per prata pacis, & ſilentij, nullis fragorum ventis pervia; devient autem ab hac tam ſuavi ſemita è cœtu bene magno duntaxat duo, & videbis paulatim decreſcere numerum illorum, horum creſcere. Quantorum autem damnorum

norum hi rei ſint, quis explicet? Si vel unum à regia via modicè abduxeris, an non multiplex malum, & multis plenum injuriis? Quid ergo ſi exemplo tuo abduxeris plures, tuámque viam jactites tamquam veram? Semel malus eſt, qui bonam vitæ viam negligit; bis, qui malam ingreditur; ter qui alios à bona via deflectit; centies, qui in malam inducit. Ut ab horum deviantium moribus, & periculis iter tuum immune præſtes, imitare prudentem viatorem; non euntium multitudinem, ſed viam reſpice. Non attendas, quàm multi eant, ſed quàm bonam viam eant. Qui oculos multum ſinit in itinere vagari, facilè ceſpitat, labitur, & deviat. Securus incedit, qui viam à majoribus tritam ingreditur, etſi à multis neglectam. Viam noſti, nec deviantium turba, ſi ſequaris, facit, ut non devies. Errat, qui errantes ſequitur, & eô fædiùs, quò ij ſunt plures. Error enim communis peſtem, privatus morbum imitatur: hinc quô ille periculoſior eſt iſto, eò majorem ille præ iſto exigit à nobis deteſtationem. Nec dicas haud tutum eſſe declinare in partes, quando unam pleri-
que

que ingrediuntur viam. Nã tibi & utilius, & gloriosius erit, si vel unum probũ sequaris, quàm mille improbos. Quid decedit honori, si indigni honore dicant te non *esse ad hominem*, si sis *ad Deum*? Qui iter suum vult instituere ad hominum genium, ille jam vult deviare. Et si instituat, uti vult, etsi millies nolit deviare, deviabit. Ut devies, sufficit, ut sequaris deviantes, etsi nolis sequi errantes. Quod autem est inter deviantium, & errantium sortem discrimen? Nullum. Illi & isti in pari periculo deprehensos se deprehendent, & ubi per felicis mortis portam adeunda patria fuisset, ingemiscent se incidisse in prædones. Si via turbæ tam periculosa non esset, Dux noster Christus vias hominum non adeo damnâsset, nec aliam per sentes & tribulos ærumnarum parasset. Quid ad hæc illi, qui triviale illud *ad homines* adeo jactitant? an non cùm viam Dei non ingrediantur, cum hominibus deviabunt? Sic ergo te gere mi Eusebi in itinere mortalis vitæ, ut tua consuetudine nulli comitum per regiam virtutis viam incedentium sis vel levissimè

gra-

gravis. Nemo in inceſſu tuo videat aliquid à modeſtia abludens, nemo audiat ex ore tuo verbum mutuæ charitati nocivum. Abſit à te omnis actio *cum nota*, & affectata oris, & totius corporis ceremonia, quam virtus non commendat, aut quæ tuam tuis comitibus ſocietatem reddere exoſam poteſt. Talis ſis, ut quicunque tua uſus fuerit conſuetudine, ſentiat ſibi labores itineris minui. Legat quiſque in exporrecta, & ad hilaritatem compoſita fronte virtutis viam jucundam eſſe, etſi nonnunquam terendum ſenticetum graviorum laborum, aut ſubeunda ſylva mœroris, & internæ deſolationis. Hæc omnia conficies tibi ad ingens meritum, aliis ad grande exemplum, ſi artem Memoriæ haud otioſam feriari permiſeris. Periculum facito promiſſi, & faxint boni Superi promiſſis majora parabis, queis hoc mortalis vitæ iter jucundum, & fauſtum reddere exiguo labore poteris. O quàm inſignes leges in rem itinerariam ſuppeditabunt tituli *Ordo Religioſus, S. Regula, Modeſtia, Charitas Proximi, Virtus, Vitium, Peccatum, Cultus Chriſti*, Ejusque Virgineæ Matris, & cæteræ Cœlitum turbæ! in omnibus in-

invenies exempla, incitamenta, & præcepta, queis te dirigas, ne in ullo viciſſitudinis bivio devies; queis te exſtimules, ne ulla fatigatione frangaris; queis te animes, ne viam à tot magnis ducibus tritam ex oculis, & animis unquam dimittas; ac ſic jucundum tibi erit has itineri leges parare, jucundius relegere, jucundiſſimum uſurpare.

§. V.

Uti Noti ceu pharmacopoeâ

168. *ægritudine ad*

QUisquis hunc in modum curaverit, ne quemquam viatorum in itinere afficiat ullâ moleſtiâ, ſui curam haud neglectam velit, ſed ex alienæ ſalutis commodo diſcet eam ſuæ habere rationem, quam prudentiæ, & virtutis leges expoſtulabunt. Non neſcis Euſebi peregrinis nonnunquam per inſalubres incedendum paludes eſſe; ipſæ, quas pro moneris noſtri ratione obimus, actiones ſi non inimicæ, certò tamen ſæpe non ſalutares ſunt noſtræ valetudini. Corpus ipſum, quod circumferimus, ſeminarium eſt morborum. Omnis quoque ætas ut mentis, ita corporis fert vitium, & ſæpe pridiana valetudo, quæ flores, & fructus provectæ ſpon-

ſpondebat ætatis, intra unius noctis intercapedinem ſimul omnis areſcit. Quis igitur non videt, quanta impoſita ſit neceſſitas viatori, ut ſe contra morbos æquâ curâ præmuniat? Hoc ſine deficiet in via, & priùs vitam, quàm dignum itineris profectum conficiet. Si me audis Euſebi curam hanc eſſe geminam exiſtimo. Unâ morbum, ne nos corripiat, propulſamus; alterâ, ſi corripuerit, eliminamus. Illam abſolvunt ii, qui medices, ut vocant, præſervantis æquam curam habent. Hanc quicunque callent, unâ ſententia docent ſaluberrimam medicinam eſſe temperantiam. Morbos ferme omnes inquiunt concipi in ſtomacho, naſci indigerie, intemperantiâ educari. Pepticum igitur neceſſarium eſt, quo ſemina morbi conſumantur. Id ut compares haud alio impendio, quàm jejuniô dicunt opus eſſe. Amarum id quidem medicamen, fructus tamen dulciſſimi vigor corporis, nox ſomnô quieta, dies labore jucunda, vires capitis ad ſtudia expeditæ. Arcendis morbis multam quoque vim habet nitor veſtium, mundities cubiculi, moderatum corporis exercitium. Cornelius Celſus, qui doctrinam medicam

temperantiam

modeſtiam

ferme omnem hausit ab Hippocrate inter remedia stomachi l. 1. c. 8. censet studium legendi clara voce; „ prodest ait adversus tardam concoctionem clarè legere. Similia multa habet Plin. l. 9. ep. 36. ad Fus. & L. Sen. ep. 15. & ep. 78.

169. quietem animi

Ad valetudinem conservandam multùm præstat, qui stomachum superfluis cibis; longè maiora, qui mentem inanibus curis exonerat. Hæ mille concitant inordinatos motus, isti furentia desideria, ista noctu necessariam quietem intercipiunt, interdiu labores aggravant, & ex iis ipsis rebus, ex queis alii virtutibus dediti hauriunt bene magnam voluptatem, voluntatis suæ servis non nisi mœror, tœdium, metus, ac cæteri exulceratæ mentis amarores dimanant. Mens sana maxima sanitas corporis. Mens se ipsam possideat, sensum regat, & omne tempus, ac temporis actiones ad propria obsequia trahat. Nulli rei creatæ ita inhære, ut amittere non possis sine tristitia. Virtutis studia etiam in parvis constitue, ut non habeas tristitiæ causam, si perdas seu officia magna, seu famam magnam. Rebus alienis animum tu-

um

um nunquam misce : si solum tuum munus impleveris, jam omnibus utilis evasisti. Sapiens viator nunquam mandit, quod stomachum; & nunquam mandat, quod animum gravare potest. Mœror pessimus viantium comes, qui neminem fert, sed ferri poscit: hinc potius ceu onus abjici, quàm ceu comes admitti debet. Mens sensum regat, nec illa istum sinat lascivire, nec sub onere fatiscere. Cogita, quid vires tuæ ferre queant. Non proficit in stadio virtutis, & doctrinæ, qui in primo tyrocinio pruritu legendi oculos hebetat. Nihil tui tuum æstimes, sed intellectum, visum, & cætera tua bona transiisse in dominium Religionis tuæ: re autem alienâ, quis non utitur cautè? Magna virtus viatoris religio temporis: citò perveniet ad terminum, si omnia momenta dirigat ad profectum. Attamen succumbet viator, si omne tempus itineri, nullum quieti dare vellet. Libertas animi, & prudentia dispenset horas: nec velis unquam una die conficere, quod duas exposcit. Nimium properandi studium, est certum succumbẽdi argumentum. Ut nihil te more-

moderationem

tur, tibi, proximo, & Deo perpetuò attende. Non plus desideres, quàm decet viatorem. Considera, quàm breve sit spatium temporis itineri concessum, si tamen semper pergas, pervenies ad patriam. Non aspice mores euntium, sed leges eundi, nisi in illis videas exempla has observandi. Devius ad viam reducendus est; deviat, qui sequitur. Ita ama conviatorem tuum, ut non perdas amorem tui.

170. conversationem Illi sis eundi lex, non despotica, sed liberalis. Exemplis allice ad sequelam: incassum compellitur ad iter viator; deficient in via ambo & compellens, & compulsus. Morbum alienum non fac tuum curis ineptîs, cur exulceres animum paliuris, qui te non pungunt. Relinque aliis suum vitium si sine tuo nequis emendare. Nunquam depugnes in verba: illi debetur victoria, qui vincitur. Læde neminem, & nemo morabitur iter tuum. Nunquam quæras amari, sed causas amandi. Si loqueris socio tuo, non nimium tuam sententiam obtrude, potius videat tua illicia in factis, quàm verbis. Cura ut amor in corde suspiciatur, in ore audiatur, in opere diligatur. Ante omnia attendendus Deus est, ad

quem

quem tendimus. Eam tibi de Deo notitiam compara, ut desiderio ad eum perveniendi possis arduos itineris anfractus superare. Deus finis est itineris: ergo solùm id est medium viatori, quod ducit ad Deum. Confraga montium non minus superanda sunt, quàm plana camporum: & plus Deum quærimus, cùm illa conscendimus, quàm ista pertransimus. Cur ergo irascaris, aut timeas, cùm ardua se objiciunt? Cùm alios vides felicitate ingenii per variæ scientiæ regiones grandem profectum facere, non tristéris: tu vade per aliam viam, quam tibi Deus monstrârit. Ad unum Deum omnes vadimus, sed non omnes una viâ. Hæc cuique optima, quæ à Deo designata. Errat, qui sibi aliam viam deligit, quin à termino recedit damnô eò luculentiore, quò diuturniore. Mira hominum cæcitas! volunt plurimi vias incedere, quas pruritus gloriæ describit, Deus tamen claudit. Eundum est viatori, qua via patet, non quò apetitus trahit. Non via viatori, sed viator itineri leges præscribit. Hoc dogma licet perpetuò à ratione obtrusum, atque ab experientia probatum quòd homines fre-

frequentissimi non admittant, ô quantis spinis vias suas obsepiunt! nemo ex eis sorte sua contentus vivit: nunc ambiunt officia, & cùm non consequuntur, tristantur; nunc anhelant ad Rhetoricam, nunc Dialectica placet, nunc Theologia rapit, & cùm neutri suas vires respondere vident; despondent animum similes illis, qui, quòd decem pondo levare nequeant; unum attingere non dignantur. Quid igitur mirum, si animus mœrore repletus coquat tœdia, & demum totus animi morbus se se etiam in corpus propaget, & miser viator in itinere vix cœpto succumbat? Tu itaque mi Eusebi si cupis corpus tuum contra ægritudines præmunire, cura, quantùm potes, ne animus ira, tristitiâ, impotenti desideriô, alióve morbo corripiatur? verùm enim verò tam miseram vitam vivimus, ut, si conservandæ valetudini omnem sollicitudinem dederimus, subitò concidamus. Ea fata cùm ferme neminem non exspectent, nemini non imponitur necessitas inquirendi medicam, è cujus legibus in eo articulo securè degi possit. Qui calamô sibi parârit conservandæ valetudinis do-

dogmata, diſcet quoque inſtaurandæ leges. Diſcet ægriente corpore fortiter ex animo ægritudinem omnem excludere. Non aſſumet ſibi perſonam medici, in queis agit ægri. Aperiet fide ſummâ cauſas morbi, medicum diliget, & medicinam: è ſuperiorum nutu etiam malè valente corpore optimè vivet; nec in illo doctrinam, nec in iſta virtutem cauſabitur. Præ omnibus habebit rationem conſcientiæ, ne ullum à vitiato corpore vitium trahat animus. Feriante illo, non feriabitur iſte: aut ſi utroque feriandum erit, ferias inſtruet illis virtutibus, queis animus contra vim morbi firmari poteſt. Patientiam objiciet doloribus, fortitudinem terroribus, ſpem tentationibus. O quàm amplam, expeditamque materiem his omnibus ritè conficiundis Notæ ſuppeditabunt! Seu ægritudine lecto decumbas, ſeu inter amicos conſuetudine utaris, ſeu cum ſociis labore occuperis, utiliſſimas leges ad omnem fortunam Notæ miniſtrabunt. Tales ergo Euſebi libros volve, & revolve, qui apta inſtruendæ vitæ tuæ præcepta tradunt, tradita excerpe in uſus tuos, excerptis utere. Modò

171. *valetudinem inſtaurandam.*

temetipſum menti tuæ repræſenta ceu viatorem, modò ceu terram , modò ceu animal , aut mancipium. Hæc metamorphoſis in omni rerum , & temporum viciſſitudine animum tuum in virtutis ſemitâ continebit. Velit abducere à recto voluptas, aut ab æquanimate dolor, aut mentis inconſtantia à cultura tui, memento , quis ſis : unus es , atque varius ſimul ; ut unus ſis uno, & conſtanti virtutis ſtudio, variam Prothei imaginem induere non graveris. Non vereberis varias, quas loquor, formas aſſumere, ſi colores , cæterumque variandæ perſonæ apparatum deprompſeris ex Notis. vadem me tibi præſtituo ; Titulus *Humilitas* , *Patientia*, *Charitas* , *Mortificatio*, eam tibi rerum copiam præbebit, ut te velut aſinum contemnas, velut terram conculces ; velut infractum heroem feras in ægritudine, velut famulum in ſocietate, velut angelum in omni occaſione. Quid memorem titulos ex libro primo *Dei Charitatem*, ex ſecundo *Christi Paſſionem*? tertio *Cultum Marianum* , ex quarto *Euchariſtiam* ? ex quinto *Angelum*? ex ſexto *Cælites*, ex ſeptimo *Fidem*? ex octavo *Peccatum* ? ex nono *Paſſiones*, ex

ex postremo demum *Statum*? Quid dicam de vagis *Auctor*? *Pœna*? *Tempus*? *Signum*, *Gratia*, *Industria*, aliisque? An non sunt in omne bellum arma, in omnem morbum amuleta? Quis non ardeat amore, qui scit incendia charitatis divinæ? quis non ferat adversa, qui novit Christi tormenta? quis non colat Mariam, qui intelligit ejus in clientes gratiam? quis sitiat mundi fel, qui gustavit SS. Eucharistiæ mel? quis non horreat animi immunditiam, qui descripsit angeli innocentiam? quis ambiat favores hominum, cui nota est charitas Cœlitum? quis non æstimet Fidei mysteria, qui viderit Martyrum tormenta? quis non repudiet voluptatum illicia, qui recensuit peccati damna? quis relinquat rabidis passionibus frænum, qui contemplatur earum exitium? quis hæreat in periculis sæculi, qui pellegit beatitudinem statûs religiosi? Si relegeris titulum *Auctor*, reperies, quàm miranda inventa sint, ut ad virtutis studia pertraharis; si lustraveris titulum *Pœna*, mirabere supplicia, ut à noxis absterrearis. *Tempus* omnium sæculorum annos, omnium annorum menses, omnium mensium heb-

domades, omnium hebdomadum dies, omnium dierum horas admirandis factis illustratas ob oculos ponet. *Signum* manuducet, ut virtutem noscas; *Gratia* aliciet, ut virtutem ames; *Industria* pertrahet, ut virtutem exerceas. Atque sic sua semper mi Eusebi erit menti tuæ cultura, culturæ fructus, fructibus beata vita, beatæ vitæ felix mors, huic perennis inter Cœlites beatitudo. A. 5. 18. B. ps. 101. 10. C. Hucbald. noster apud Boll. 30. Jan. c. 6. D. Jo. 12. 25. & 15. 1.

CAPUT III.

Usurpare Notas ad salutem proximi.

172. *Addiscere Rhetoricam gloriosam Religionibus sacris.*

Eubulus. Per tam longas periodos hactenus me tui amor loquentem duxit Eusebi, ut tibi soli Notarum usu prodessem. Verùm cùm illæ sint fertilissimæ vineæ, quæ non tantùm sibi pampinos ferunt! cùm sint pretiosæ margaritæ, quæ non sibi duntaxant lucent; ac cùm tu ingenij fertilitate vineis, animi opulentiâ margaritis, cæterarumque dotum splendore soli sis simillimus, existimarem partem solùm beneficij hactenus industriâ meâ in te collatam

fuisse

fuisse, nisi integrum Notarum, tam qua salutem propriam, quàm qua alienam respiciunt, usum ab ovo, ut ajunt, demonstrarem. Ubi autem animi mei sensum in id intendi, quâ potissimum ratione tam illustrem, mihi, tibique gloriosum, ac utilem finem assequerer, illico deprehendi, omnem ad hunc scopum viam præcludi, nisi Rhetoricâ aperiatur. Ea quippe est Rhetorices tum necessitas, cùm præstantia, ut sine ipsa cæteræ scientiæ ferme omnes inter angustias privati commodi aut exsuccæ jaceant, aut ad multorum emolumentum prope nihil proficiant. Hujusce rei forsan non omnibus gratæ certissimæ tamen argumentum habemus omnem præteritæ memoriæ experientiam. Societas Jesu, qua nulla hominum sors (id absque invidia dixerim) aut majori impendio, aut fructu luculentiore salutem animarum nostra ætate quærit, crederet à se suos heröas in virtutis inimicos ceu inermes dimitti, nisi Rhetorices armaturâ præmuniret. Admiratione, & imitatione dignissimum est, quod de hujus sanctissimæ Religionis Palæstritis affert R.P. Casparus Biesman (a) & ipse exercitatis-
simus

ſſimus Dux, cùm ſyncerè confitetur integrum quinquennium à quovis S. J. tyrone Rhetoricæ, cæteriſque humanioribus ſcientiis addiſcendis impendi. Quid igitur mirum, ſi tanto temporis ſpatio, tantiſque ſtudiis, quibus illi ſolent, armati fidei, & virtutum hoſtibus terribiles prodeant, & Divini verbi gladium punctim, & cæſim ea felicitate ſtringant, quam boni omnes ſuſpiciant, & admirentur? Oculos tollamus in aliarum Religionum athletas: tanto hi fructu nunquam in vitia depugnarent, niſi pugnandi rationem in Rhetorica didiciſſent. Econtra verò da mihi homines, qui etſi Theologiæ, Jurisprudentiæ, cæterarumque ſcientiarum armaturâ ſint admodum muniti, careant tamen gladio eloquentis linquæ velut inermes pugiles animorum triumphis nunquam potientur.

173. *neceſſariam perſonis ſacris*

Quanta autem exin damna in rempublicam Chriſtianam emergant, quis explicet? Deflere, non recenſere hæc damna noſter Hirſaugienſium Præſul poteſt. „O utinam exclamat (b) „omnes Theologi noſtri temporis oratoriam colerent! quantum in Ec„cleſia Dei ſuis exhortationibus fructū „pro-

„producere possent! Et amabo quî aliis scelerum fugam, virtutúmque amorem persuadebimus, si nos ipsi ad animi motum de divinis meditari nequimus? Nequire autem eos, qui Rhetoricam nesciunt, experientia, & ratio probant. Ut enim se quisque ad vitiorum detestationem, virtutúmque studia concitet, opus est, ut norit illorum fæditatem, harum pulchritudinem; illorum damna, harum merita; illorum execrabiles effectus, harum optabiles fructus. Norit præterea necesse est artem pertrahendi voluntatem, ut efficaciter vitium detestetur, ac virtutem complectatur. Quid autem hoc est aliud, quàm pulcherrimæ matris Rhetorices pulcherrima proles? ut adeo iis, qui sine Rhetorica se, aliósve persuadere volunt, similes mihi videantur illis, á quibus petitur domus absque architectonica, imago sine pictoria, notitia de divinis sine Theologia. Eâdem enim necessitate illam ad persuadendum, quàm ullam aliam artem ad suum proferendum effectum requiri quis dubitârit? Deus ipse videtur nolle corda nostra sine Rhetorices impendiô triumphare. An non potior illa vis, qua

74] commendata in SS. Litteris.

qua expugnata animorũ noſtrorũ duritie nos Ter opt. Deus ad virtutis ſtudia pertrahit, continetur in ſacris Bibliis? ſed hæc quid ſunt aliud, quàm elaboratiſſima Rhetorica, quam ipſemet ſuo diviniſſimo ore primus dictavit, primus docuit, primus illuſtravit? Aperiamus Euſebi hanc illuſtriſſimam Theorhetoricam. Quis è legibus metaphoræ velocitatem meliùs ad delectandum? quis vindictam graviùs ad terrendum? quis improbitatem vehementiùs ad confundendum expreſſerit, quàm in ipſa expreſſam reperimus? Ait enim (c) „ volavit ſu„per pennas ventorum: quid pro de„claranda velocitate exquiſitius? In„ebriabo ſagittas meas (d) ſanquine: quid pro exaggerando terrore potentius? Mentita eſt iniquitas (e) ſibi: quid pro concitanda confuſione dici poſſet vehementius? Taceo innumera Metonymiæ, Ironiæ, Synecdoches, aliorúmque troporum pulcherrima exempla. Quid dicamus de verborum luminibus Epizeuxi, Anaphora, Epanalepſi, & Gradatione? Facillimum ſanè foret pulcherrimas harum omnium figurarum imagines afferre; & ſi attuliſſem pro ſingulis ſingulas
ſe

se offerret de Figuris Sententiarum eò uberior dicendi fæcunditas, quó hæ illas tum vehementiâ, cúm præstantiâ sermonis longiùs antevertunt. An non sentis Apostrophes vehementem vim, cùm tibi affero illud Deut. (e) „ Audite cœli, quæ loquor. An non advertis gravissimum Interrogationis impetum, cùm tibi insonatur illud purpurati vatis argumentum? Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me? An te latet virtus Prosopopœiæ, si cætera in calamitate clamantis verba adducimus? „ Multi „dicunt animæ meæ: non est salus „ ipsi in Deo ejus. Gradum jam faciamus ad ipsas argumentorum sedes, seu potius aurifodinas, ex quibus pretiosissimum veritatum aurum eruimus. Qua in re nostra Theorhetorica iterum omnes eloquentiæ leges longis parasangis superat. O quàm pulchrè illa Deum vocat per Definitionem à causis spem nostram, ab Effectibus Gloriam, à Comparatione Patrem, à Similitudine Gaudium, à Genere bonum, à Specie dulcem, ab Adiunctis auxilium in tribulatione! Sed ut hujusce rei, quæ mihi semper maximi visa fuit, & addiscendæ Rhetorices

rices prægnantissimum argumentum; imaginem velut oculis subiectam intueare, i mecum ad radices montis Sinæ. Ecce tibi hîc terribilem catastrophen! Isacidæ tot prodigiis stupente cœlo, mirante terra, obsequente pontô ex Ægyptiaca servitute educti à veri Numinis cultu descîscunt, ac vitulum aureum sacrilega religione divinis honoribus afficiunt. Tantum nefas non tulit divina Nemesis: sed toti populo æternum exitium comminatur. Qui depositis hisce rebus manum apponeret, erat nemo; solus qui linquam interponeret, Moises. Audiamus jam ad exemplum è summa Rhetorices virtute loquentem. Primum argumentum ducit à Relatis. „Cur Domine inquit irascitur furor tuus? ubi honor tuus, si simul omnes servos tuos in exitium agas? Alterum argumentum depromit ab Adiunctis personarum, quæ eductæ sunt ex Ægypto: populus inquit, tot nominibus tuus, toties in periculis servatus, Abrahæ, Isaaco, & Jacobo promissus, ad tantam multitudinem provectus pereat? Pergit dein ad Adiuncta loci, in quo, modò versatur populus, & exaggerat vastam solitudinem; ac inde à

Con-

Consequentibus elicit Ægyptiorum gaudium, si ille populus periret, cui antea ranæ, cinifes, tenebræ, mors, & ipsæ maris procellæ militabant. Potissimùm autem urget Adiuncta modi, quo populus eductus erat ex Ægypto, illam nempe fortitudinem magnam, & manum robustam, quâ omnis Ægypti potentia superata, atque coëuntis maris fluctibus hausta fuit. Dixit Moses, & vicit, ac potenti ejus orationi illico eloquentiæ triumphus additur: *Placatus est* (g) *Dominus*. Adeo nempe Sacræ Litteræ non solùm vivendi, sed & loquendi pulcherrimas leges, & præcepta suggerunt, ac Rhetoricam, cujus imagines, & exempla prope in singulis paginis exhibent, mirificé commendant.

His perpensis non miror ego grandia illa Majorum nostrorum studia, queis ipsi Rhetoricam didicerunt, & docuerunt. Fulsêre quidem in trivariata Gelasij nostri II. Pontificis Max. tiarâ pulcherrimæ gemmæ sanctimoniæ vitæ, animi tum (h) magnitudo hostibus terribilis, cùm mansuetudo bonis omnibus amabilis; nullâ tamen adeo mentium oculos perstrinxit, quàm topaziô eloquentiæ, quo

175. exemplis Majorum per

quo tam varios animi motus ciere poterat, quàm varios ipſe pro Eccleſiæ emolumentis conciri volebat. Guibaldus (i) Caſinenſium illuſtriſſimus Præſul Rhetorices ſtudiis Belgium, Italiam, & Galliam illuſtravit, maximos principes in ſui amorem rapuit. Tantumque potuit eloquentiæ gladio, ut Eccleſiam, & Innocentij II. innocentiam contra bicipitem illam (Anacletum antipapam dico) Hydram non infeliciter defenderet. Quid memorem Iſidorum, Probum, Wolphelmum magna Religionis noſtræ lumina, & admirandæ Eloquentiæ flumina? Iſidori à Rhetorica laudes nemo adæquabit, niſi qui facundiâ Iſidori polleat. ,, Platonem ingenio, Ariſto-,, telem (l) ſtudio, eloquentia Tullium, ,,copia Chalcenterū, eruditione Origi-,, nem, gravitate Hieronymum, Au-,, guſtinum doctrinâ, Gregorium ſa-,, nè proſequebatur exemplis. En Euſebi quàm grandia nomina in uno Iſidoro ad Rhetorices commendationem, utilitatem, & præſtantiam demonſtrandam concurrant! Probus (m) in quo ſanctitas cum doctrina, doctrina cum ſanctitate de palma certabant, Rhetorices ſtudiis adeo inclaruit.

ut

ut publicâ famâ diceretur perpetuo usu Virgilium, & Ciceronem, cæterosque artium liberalium priscos principes apotheosi donâsse, Athenæum aperuisse, & Moguntiam non solùm sed etiam Germaniam universam loqui docuisse. Ut Rhetorices emolumenta tibi compendio complectar, animum mecum intende in vitam, ac gesta Wolphelmi Abb. Brunvvilerensis. Prô quanta hîc unus sua, qua pollebat Rhetorices peritiâ juvenis designavit! vir confecit, senex reliquit! Vis, ut ex multis imitatione nostra dignissimis vel unicum afferam documentum? Noverat Sanctissimus Abbas quanti tum eloquentiæ, cùm sanctimoniæ thesauri in sacra Scriptura lateant. Quid igitur sancit, ut suis hos thesauros effoderet? Rhetoricam ipse docet; ut sacra Scriptura singulis annis à capite ad calcem à quovis discipulo perlegeretur, perenni lege (n) decernit. Quid in rem nostram potentius ad æstimationem afferri, ad exemplum proponi, ad constantem denique imitationem exhiberi potuisset? Quid quód maximi Imperatores, Reges, & principes ut suum sibi solium firmarent, non mi-

nus Rhetoricâ ingenium, quàm gladio manum armare contendebant. Carolus ille sanctimoniâ etiam in sacris fastis celebratâ, ille rerum gestarum gloriâ verè Magnus ex ore B. (o) Alcuini nostri pendere, ac Rhetorices præcepta excipere non erubuit, sed tanti habuit, ut suum hunc egregium præceptorem maximis honoribus coleret, insignibus titulis exornaret, ac totius Rom. Imperij velut maximam columnam veneraretur.

178. *experimenta magna.* Cùm igitur Rhetorica tanti semper habita sit iis, qui alienam salutem seriô quærunt, ut sine ea alios conatus quoscunque nullo, aut modico fructu à se allatum iri existimarent; Artem memoriæ nemo unquam ad publicam utilitatem derivabit, nisi qui Rhetorices flumine mediocribus saltem studiis tingatur. At ubi animum in id intendi, qua potissimum ratione mi Eusebi ducendus esses, ut tam beatis undis ingenium tuum imbuatur, varia se animo meo consilia objiciebant. Nunc videbaris mihi ad rivos illos ablegandus, quos è vasto Rhetorices fluvio seduli calami in libros derivârunt; nunc tui me amor trahebat, ut mihimetipsi ducis laborem

rem sumere non gravarer. Inter hæc varia sensa dubius, tandem ultimum selegi ceu tibi præprimis utile, eâ potissimùm motus ratione, quòd Divini Numinis ope nixus probè confidam, fore, ut difficiles scopuli, qui viam ad Rhetorices adyta admodum laboriosam reddunt, si non removeantur, saltem superatu faciliores reddantur. Atque id perspicuè videbis, si consilij mei rationem penitiùs inspexeris. Nosti Eusebi, hominem esse divinæ potentiæ opus nobilissimum, opus nobilitate conditoris illustrissimum, rerum, quas complectitur, magnitudine, & multitudine insignium vastissimum atque huic, quo undique ambimur, mundo simillimum, ut adeo non immerito microcosmus hoc est parvus mundus nuncupetur. In macrocosmô condidit Divinus opifex montes, campos, valles, queis integræ urbes, vastissimæque turres ingenti sui decore inædificari possunt. Condidit & in microcosmo varias areas construendis pulcherrimis arcibus splendidis ædibus aptissimas. An non Justitiæ pulcherrima ædes Jurisprudentia, Divinæ Sapientiæ Theologia, humanæ prudentiæ Philosophia? ut esset his pa-

latiis condendis area, paravit Ter Opt. Deus ingenium hominis, liberumque cuivis reliquit, quale quisque palatium velit moliri. Si tu itaque velis fabricam Rhetorices in munitam, ac pulchram arcem educere, architectos imiteris, necesse est. Ante omnia inquirunt illi lapidicinas, ex queis ad futuram fabricam convehant aptam materiem. Inde manum admovent operi, terram eruunt in fundamentum partem aliam materiæ distinquunt in parietes, aliam distendunt in atria, aliam efferunt in conclavia, aliam educunt in turres, aliam in alias partes jubent artis imperiô abire, donec ad architectonicæ leges opus faberrimè consurgat. Ubi steterint muri, transitur ad conducendum ornatum: nudi parietes induuntur gypsi candore; atria fulciuntur variegatis columnis; conclavia exornantur imaginibus. Si oculos circumferas, miraberis hîc opere cymatio, ibi anaglyptô artificiosam manum. Alio ornatu consurgunt parastades, aliô pendent testudines, alio se totius fabricæ externa facies aspicientium oculis infert. Demum hæc tan-

gna-

gnaviter educta ædes expoſcit inquilinos, vindicat ſibi ſui uſum, quo ſine tota fabrica inutilis erit, lapidum congeries, opus vanum, & inepta offenſæ terræ moles, ſuique opificis vaſta infamia. Ita quoque quisquis cupis inſignem tibi Rhetorices arcem educere, prima tibi cura ſit noſſe Locorū (quos Rhetoricos vocant) lapidicinas ex quibus ad quodvis eloquentiæ opus aptam materiem eruas; eorum, dein aliqua, quæ eruta ſunt, diſcas diſponere in formam orationis ceu ædificij, aliqua in Exordio ceu fronte collocare, aliqua educere in Confirmationem ceu principes muros, aliqua denique reſervare velut ad tectum in Perorationem. Si hunc in modum totius orationis ichnographiam, ac ſingularum ejus partium rudem quandam didiceris imaginem elaborare, operam dabis, ut variis figuris varium ornatum inducere noris orationi, ita ut aliquæ ejus partes ſplendeant aulæis Anaphoræ, aliquæ placeant imaginibus Epanalepſeos, aliquæ aſſurgant in columnas Interrogationis, Ethopoeiæ, Diſtributionis, aliarumque Figurarū ornatū. Ubi demum hæc omnia didice-

ris,opus ipſum aggrediare,ac educendo inſignis Rhetorices ædificio manũ admove, nunc Chriam, nunc Soriten, nunc orationem molire; ac ne Rhetorica tua vacuum videatur ſine inquilino caſtrum, exonera bombardas argumentorum in vitia, virtutes velut fortiſſimas Amazones lege,hoc eſt reapſe Rhetorices ædificio, quantum quantum molitus es, uſurpa. ut autem quatuor hæc præcepta, queis tota eloquentiæ moles inititur, ritè diſcas, tota deinceps & uña erunt materia noſtræ diſſertationis. A. in præf. ad Lucem orat. B. Jo. Trith. in ep. Dedic. ad lib. de Eccl. Script. C. pſ. 17. 11. D. Deut. 32. 42. E. 32. 1. F. Pſ. 3. 1. (G. Ex. 32. 14.) H. Hieronym. Plat. L. 2. c. 28. de bono ſtat. Relig. (I. Chron. Caſin. l. 4. c. 12. 4.) L. Auctor vit. c. 1. apud Boll. 4. Apr. M. Lupus Ferrarien. vel etiam Sæc. 4. p. 2. an. 859. (N. Sæc. 6. p. 2. an. 1091. n. 4. & 20.) O Sæc. 4. p. 1. in vita, ubi in rem admiranda invenies.



§. I.

§. I.

Conquirere ex Lapidicinis Locorum materiem ad ædificium Rhetorices.

EUbulus. Orationi eſſe argumenta, quod fabricæ cuidam ſaxa nemo eſt, qui dubitet. Prima itaque lapidicina, ex qua illa depromas, dicitur definitio, quæ nihil eſt aliud, quàm Oratio explicans naturam rei. Proin quot modi recenſentur explicandi naturas rerum, tot ſunt Rhetori formæ definiendi. Cùm igitur naturas rerum poſſimus ex omnibus Locis declarare, tot erunt ritus definiendi, quot ſunt Loci. Verùm aliter Rhetorica, aliter Dialectica tractat Definitionem. Hæc ſine ullo verborum ornatu genus & differentiam affert, ac ſtrictim, & magno rigore diſcutit, an differentia omni, & ſoli rei explicatæ conveniat; genus autem an latiùs pateat, non tamen divagetur extra fines Philoſophiæ? Econtra verò Rhetorica nullis cancellis, cùm definit, ſe patitur includi, ſed magnificè fertur, & pro quæſtionis propoſitæ materia magnâ verborũ majeſtate, aut humili-

177. *Inveſtigare argumentum in lapidicinis ſeu Loco Definitionis à*

militate rerum indolem eviſcerat. *Euſebius.* velim hæc mihi ſingula exemplis demonſtrari. *Eubulus.* Non abnuo, ſed ubi quemque Locum declaravero, aptum exemplum ſubjiciam. Atque ut ſenſa mea altiùs menti tuæ inſculpere poſſim, filo oratorio ſingula exempla connectam, & ſignis margini appoſitis à regulis, quas affero, diſcriminabo. Ad id materiem ampliſſimam præbebit unica hæc quæſtio.

Peccatum eſt horrendum malum.

I. itaque modus definiendi eſt à genere, & differentia cum quodam rigore Philoſophico, non tamen ſine ornatu Rhetorico.

„ O malum! malorum omnium „ peſſimum peccatum! dictum eſt „ contra legem Dei iuſtiſſimam: quis „ non obmuteſcat præ horrore? fa„ ctum eſt contra legem Dei ſanctiſ„ ſimam: quis non deficiat ex aſpectu „ tanti facinoris? deſiderium eſt con„ tra legem Dei optatiſſimam: quis „ non iraſcatur tam impio voto?

Notatione 2. Modus eſt, ſi rem deſcribas à Notatione, & indolem rerum in ipſo vocabulo

bulo inveſtiges, ut ſi peccatum dicas *pecudis actum* ; & *ſuperbire* dicas idem eſſe, ac *ſuper alios ire.*

„Dic igitur peccatū pecudis actū. verè námque qui peccant, pecudis ritu, ſine ratione, ſine lege, ſine metu feruntur, quò ferina voluptas trahit. Superbiunt ? Super alios eunt &c.

3. Enumera rei, quam vis definire, partes, & cuivis parti tribue ſuam affectionem ex aliqua cauſa, cúmque hanc per ſubſtantiva expreſſeris, definitio erit ab Enumeratione partium. ut ſi dividas in Theſi poſita voculam *omnibus*, (quæ vox more Oratoribus conſuetô hic ſubauditur) invenies agricolas, cives, Reges, provincias, regna, orbem. Dic ergo. *Enumeratione partium.*

„Peccatum eſt colonis agrorum grando, civibus urbium ruina, Regibus ſolii everſio, provinciis clades, regnis exitium, orbîs interitus.

En quia peccatum eſt cauſa grandinis &c. ſumis grandinem, velut eſſet vera affectio peccati. Sed de hoc plura ex Loco de Cauſis.

4. Deſcribe rem per voculas, quæ ab una natæ ſunt origine. uti ſi voces peccatum inſipientiam, & *Conjugatis.*

id

id ſubſtantivum variè nominibus ab ipſa derivatis applices.

„ Et tamen ſcelerati jungunt ſcelus
„ ſceleri ſceleſtiſſimè. O inſipienti-
„ am inſipientium maximam! Quous-
„ que hac inſaniâ inſaniatis inſaniſſi-
„ mi?

178. *Genere*

5. Tribue appellationes, & nomina generi convenientia Speciebus, quæ ſub genere comprehenduntur. Sic ſub genere mali invenitur peccatum; omnia ergo quæ de malo genericè ſumpto dicere potes, dic de peccato. Quævis mala deſtruunt bonum ſibi oppoſitum, torquent mentem, faciunt miſeros &c. Ex his dices de peccato.

Spetie.

„ An non videtis hæc veſtra pecca-
„ ta eſſe omnium bonorum everſio-
„ nem, torturam mentium, miſeriam
vitæ, familiæ, vel ſtatûs veſtri?

6. Quæ conveniunt Speciebus, adſcribe generi. Uni ex Speciebus peccatorum convenit nomen ſuperbiæ, avaritiæ, &c. Hæc ergo omnia tribue peccato ut ſic;

„ O quanta mala in uno peccato!
„ Superbia eſt, luxuria eſt, ira eſt, inju-
„ ſtitia eſt, infidelitas eſt, ſacrilegium
eſt.

7. Con-

7. Considera, cuinam rei similis sit res, quam à simili vis definire. Si inveneris similem, hujus nomen illi tribue, ommissâ particulâ *sicut*, quemadmodum &c. & serva solum substantivum similitudinis. Sic cùm peccatum sit simile lepræ, mephiti, morti &c. sic effers. „ Si peccatum dixe-„ ro pestiferam, fætidam, infernalem „ mephitim, nimis parùm dico; si di-„ xero lepram insanabilem, exitialem, „ intolerabilem, nondum assequor fæ-„ ditatem peccati : dicam ergo mor-„ tem virtutum ; mortem ipsius ani-„ mæ. *Similitudine*

8. Affer quandam rei definitionem, & mox ad exaggerationem appone contrarium definitioni allatæ. Uti peccatores dicunt vitam voluptuosam, jucundam, tu dic tristem ; illi dicunt securam, felicem, tu dic periculosam, infelicem. Illi amicos jactant, tu inimicorum turbas exaggera simili modô. *Contrario.*

„ Et miserrima peccantium turba „ tripudiat tamen, lætatur, plaudit. „ Vitam suam lætitiam vocant, tri-„ stitia est; securitatem vocant, pe-„ riculum est ; felicitatem vocant, „ infelicitas maxima est. Jactant ami-

cos,

„cos, prudentiam, opulentiam. O „insana jactantia inter medios infernalium hostium cuneos! O stultam „prudentiam! O pauperem opulentiã!

Adiunctis. 9. Rem quampiã describe ab iis, quæ illam circumstant, ut sunt tempus, locus, modus, persona, causa &c. Ex hoc Loco per definitiones vehementer exaggeraveris peccatum.

„Longè alio sensu aguntur ij, quibus „virtus cordi est; Si interroges, quid „sit peccatum? asserunt esse in popinis gulam, in officiis infidelitatem; „in aulis ambitionem, in bellis sævitiem, in pace torporem.

Antecedentibus consequentibus. 10. Tribue rei definiendæ Substantivum, ex quo attributo necessariò sequitur, quod intendis, aut econtra ut lethale vulnus necessariò sequitur mors; & tenebræ supponunt noctem. In definitione horum locorum usus rarus est.

„Peccatum est lethale vulnus, & „peccator se sanum putat! quid insanius? peccatum est horrida tempesta[s] „& peccator non timet naufragium „quid periculosius? peccatum est clades animarum, & peccator iminen[s] „exitium ignorat! quid nefastius?

11. Di[...]

11. Disquire quibusnam causis res e. g. peccator consurgat; sunt autem illæ quatuor materialis, formalis, efficiens, & finalis. Cúmque singulorum effectus per apta substantiva definieris definitio erit à causis. e. g. cur peccator delinquit? ob vanam voluptatem: dicito ergo ex causa finali mancipium voluptatis. Quid efficit hominem peccatorem? dæmon, inordinata desideria, caro, mundus, Ex qua re ceu materia constat homo? est compactus ex luto. Quæ demum huic materiæ indita forma anima im̃ortalis. Ex his facilè à quatuor causis definies peccatorẽ

„Ut tandem peccati horridam „fæditatem conspiciam, vos ego „beatos & omni labe immunes „angelos compello, declarate mihi „peccatoris impudentiam. Si dicitis „mancipium voluptatis, servum dæ„monis, captivum mundi, vivum in„fernum, quàm magna dicitis! Et ta„men majora vobis dicenda restant. „Luteum ille vas, sperma fætidum, „stercoris receptaculum, vermium „præda, putredinis officina, nausea „narium sibi honorẽ vindicat, quærit „illecebras, cupit ornari. Et

im-

„ immortalis animus negligitur. O „ proſtitutionem immortalitatis à „ mortali homine intollerabilem!

effectibus 12. Ex his facilè definies ab effectibus ſingularum cauſarum peccatum. Effectus cauſæ efficientis eſt infamia; efficit enim hominem infamem; effectus cauſæ finalis eſt ſitis voluptatum, quæ ſunt finis peccatoris. Dic ergo. „ Quid igitur mirum foret, ſi „ veſtros de cœlis ignes in peccanti- „ um turbam detorqueretis? Potiùs e- „ go miror hanc generis humani infa- „ miam tolerari, hanc à vobis in Crea- „ torem veſtrum ſacrilegam rebellio- „ nem non illico infernalibus flam̃is „ puniri. Moram vindictæ impii ver- „ tunt in materiem malitiæ, & volup- „ tatum guſtatis illecebris proritant „ novam ſitim libidinis. O execran- „ dam voluptatum ſitim!

Comparatione 13. Compara res rebus, & nomina, quæ invenis, rei comparatæ in comparativo tribue. Exemplum ſit peccatum.

„ Parùm dixi, cùm noxiam ſitim „ dixi: omne malum dicere debuiſ- „ ſem. Cancer eſt, ſemper vorax, & „ cancro voracior; lues eſt ſemper „ funeſta, & lue funeſtior; dæmon „ eſt

,, eſt ſemper terribilis,& dæmone ter-
,, ribilior. Non dixeris colluviem pec-
,, cato fætidiorem, non calamitatem
,, turpiorem, non ſeditionem nocen-
,, tiorem. Qui in fœdis fœdiſſimum,
,, in turpibus turpiſſimum, in nocen-
,, tibus nocentiſſimum dixêre, quan-
,, dam umbram, non formam noxæ
,, cujusdam expreſſerunt. Eſt enim
,, omni formâ deformior, omni dra-
,, cone venenoſior, ipſo inferno hor-
,, ribilior.

Porro Locus Definitionis fæcundiſſimus eſt, amplificationi, & concitandis motibus ampliſſimam materiem ,& vim affert.e.g.1.ſi ex re definita miniſterio Locorum elicis proprietates, effectus &c. e. g. ſi dicas peccatum lepram, examina naturam , & proprietates lepræ,& ea, quæ inveneris in lepra, tribue peccato. Lepra ex Loco Effectorum excludit è ſocietate hominum, ex Loco Generis & Speciei eſt morbus inſanabilis, ex Loco Comparationis leprâ deterius. Quæ ſingula ſi transferas in peccatum, integræ orationi parabis ſylvam rerum, habebuntque ſimiles definitiones rationem argumenti proximi ; id autem, quo probas quandam defini- 179. *Fæcundiſſima cum*

G tio-

tionem erit argumentum remotum. Vide infra c. 5. §. 2. n. 273. En periculum tibi facio in allato exemplo.

„Cùm igitur peccati fœditatem de„pingere non possim, seu colores à „dracone, seu inferno mutuem, in par„vo malo magnitudinem maximi ma„li (Peccatum aio) metire. Pone ti„bi ob oculos hominem elephantiasi „totum corpus obsitum: solus relin„quitur frequenti nuper amicorum „stipatus turbâ; omnis consuetudo „abrumpitur, neminem, cùm edit „comensalem, cùm incedit socium, „cùm laborat, medicum habet, è so„cieate hominum excedere jubetur, „in nosocomium ablegatur. Longè „miserabiliori modo agitur cum iis, „quos peccati lepra infecerit. Antea „cincti Angelorum agmine ceu gra„tissimi Supremi Numinis amici cole„bantur, nunc angelis nauseæ, velut „hominis propudium aspiciuntur. Nil „in terris beatius societate proborũ. „At da, qui se peccati leprâ contami„nare non vereatur, & illico tam be„ato cœtu proscribetur. Et sic deinceps describes damna, quæ peccator incurrit, cùm cogitur vivere in dæmonum contubernio, cùm Dei, &

An-

Angelorum auxilio destituitur &c. Eodem ritu efferes secundum, & tertium membrum. Nam si omnia artis humanæ medicamina discusseris, nil inveneris, quo peccati lepra persanari possit. Deus ipse medicam manum afferre debet. Hîc posses digredi ad illa, ut ita loquar, *ingredientia*, quæ Deus ad parandam hanc medicinam contulit Sanguinem nempe Filii, Saluberrimas aquas Sacramentorum. Dein, posses demonstrare, quantum studii impenderint mundi Dei famuli, ne hâc leprâ unquam inficerentur. Variam materiam præbebit titulus *Timor peccati P. Industria* contra peccatum &c. Demum tertium membrum probabis ex his tribus rationibus. 1. Lepra corporis non est febris, cardialgia, paralysis, est autem peccatum. 2. Illa solum corpus inficit: hæc animam, omnes virtutes. 3. Illa non accelerat mortem, hæc est ipsa mors. Vide sis Eusebi, quantum dicendi apparatum convehere possis ex unica Definitionis Lapidicina.

In tanta tamen multitudine selectus institui non sine prudentia debet. Pulchriores definitiones sunt, quæ fi- 180. *Selectu: per*

unt à quatuor causis, quæ per negationem, & affirmationem, ac contentionem ironicam, quæ ab adiunctis, quæ per negationem cujusvis membri appositi, quæ per congeriem repetitionum, & complexionum, quæ per elogia, aut vituperia jam olim aliis tributa, cùm in rem subjectam derivantur; quæ fit per partes totius, quæ demum fit per synonymiam. Jam iterum singulorum exempla afferamus.

negationem, & affirmationẽ, aut

14. Dic rem subjectam e. g. peccatum id, quod non est, dein rejice per figuram Interrogationis, & Ironiæ, quæ allata sunt, & veram rei h. e. peccati definitionem subdis præmissâ aliquâ exclamatione.

„Vos tamen miseri peccatores le-
„pram vestram, miseriam vestram,
„sortem vestram non agnoscitis, sed
„in mediis periculis, velut si omni fe-
„licitate potiremini, tripudiatis. An
„eos vos felices dicitis, qui sensum
„sequuntur? Qui voluptates sectan-
„tur? Qui liberis habenis in omnem
„libidinem effunduntur? Qui legi,
„qui rationi, qui Deo bellum indi-
„cunt? O egregios duces! O magnos
„heroes! quos vereatur orcus, sequa-
„tur populus christianus! Habetote

„vo-

„ vobis veſtram felicitatem miſer-
„ rimam. Illos ego felices dico, qui ſe
„ virtutis ſtudiô, quam vos contemni-
„ tis, felicitatis Auctori Deo reddunt
„ ſimillimos; qui &c. Dein facillimum erit ſubjicere rationes, queis probes, quàm infelix ſit peccator, & quam felix iuſtus.

15. A quatuor cauſis pulcherrimè repetitur definitio, ſi res ſubiecta ſit materialis e. g. domus, templum, ara, urbs, arx; aut ſi compoſitis materialibus compares compoſitum morale, v. g ordinem S. Benedicti templo. Tunc dices ex cauſa efficiente S. Benedictum hujus templi architectum: excurre, à quo, quando didicerit architectonicam; & invenies, eſſe Spiritum S. Ex cauſa materiali dices leges S. Regulæ ſaxa, & materiem hujus templi; ex formali formam ſe in fundamentum demittentem dices Fidem, exporrigentem ſe in altum charitatem, in latitudinem ſe diffundentem dices provincias, & regna, in quæ hoc templum ſe extendit. Finem dices perennem Dei laudem, cultum parthenium, ornatum Eccleſiæ &c. Ex his quatuor cauſis facilè compoſueris *cauſas quatuor*

panegyrin, si singulas tanquàm argumenta proxima, exornaveris per alia remota. His materiem præbebunt proprietates templi, ejus partes, & Locus ab Adjunctis, uti *quo in loco* sit conditum templum ordinis nostri; in altissimo Ecclesiæ monte; *quibus mediis*? Deo prodigiosam manum exhibente; *quando*? Cùm in scelerum, & idololatriæ fanô Europæus orbis ferme universus vitiis immolabat. Hæc lucem præbent, ut videas, quàm facilè possis ex hoc Loco describere juxta nostrum exemplum miserrimam peccatorum sortem, si ex illo Isaiæ 34. 13. vocas cor peccatoris cubile draconum, designásque hujus cubilis causam efficientem dæmonem, materialem conscientiam, formalem infernum, finalém stabulum vitiorum, dracones vitia, foramina quinque sensus &c.

„Et verò quis felices existimet eos „qui portatilem infernum in animo „suo circumferunt? Animus veste „æternæ veritatis testimonio est cu„bile draconum infernalium, quid „horribilius? ex horrore quid infeli„cius? ex infelicitate quid miserabi-

lius

„ lius ? Id ſibi illi inſo lo alieno , in
„ tuâ anima , quam Deus ſuo ſan-
„ quine emit , in habitaculum ſibi
„ præparavit, moliti ſunt , ut in eo
„ ſtabularent vitia, ſcelera, ſacrile-
„ gia , adulteria. Quid dixeris
„ hoc cubili inferno ſimilius ? quid
„ dixeris hac ſimilitudine calamito-
„ ſius ?

16. Deſcribe per Hypotypoſin rem definitam materiâ deſumptâ ex Adjunctis , & Enumeratione partium, easque per Figuram Diſtributionis amplifica. Exemplum ſit vitium. *Adjunctis*

„ Vin' ut eiusmodi tibi monſtrum
„ ob oculos ponam ? Imaginare tibi
„ ſerpentem capite criſtatum , ven-
„ tre turgentem veneno , linguâ
„ minaciter ſibilantem. Vin' caver-
„ nam , ex qua proreſcit , demon-
„ ſtrem ? ex orco emerſit , miſerum
„ hominem non minus in humilem
„ caſam , quàm magnificam aulam
„ comitatur. Dormit nunquam : exi-
„ tium ſemper machinatur , aut in-
„ fert. Adeat peccator templa , a-
„ deat curiam , adeat privatas ædes ;
„ in illis peſtifer hic draco inficiet
„ religionen ; in iſtis pervertet æquita-

„ tem,in his mutuam charitatem ; „ & amicitiam iugulabit. Et quem „ demùm locum tam ſanctum dices, „ in quem non penetret ? nec ætati „ parcit , nec ſexui; divitiis nutritur , „ & doctrinâ , optima quæque de- „ paſcitur , donec miſeram animam „ deglutiat , & perdat. O horren- „ dum monſtrum !

101. *Negationem cujusvis membri appoſititam per verba, quàm ſubſtantiva*

17. Affer primo per Figuram Interrogationis quid res non ſit ex definitionibus conglobatis , iisque vel per verba in infinitivo expreſſa, aut per ſubſtantiva. Ac tum demum adde tuam ſententiam , & quid ſit declara. „ Et tamen cæcus peccan- „ tium populus ſe felicem exiſtimat ! „ O quanta miſeria ex una hac exiſti- „ matione ! an tu eum felicem autu- „ mes, qui mediis verſatur in pe- „ reundi periculis ? qui in cœlis „ Deum iratum, in terris dæmonem „ inſidiantem habet ? quem intus „ mordet conſcientia, foris fallit „ mundus ? cui volupe ridere pro- „ bos ? tempus prodigere ? edere ? „ bibere ? imitari moribus bruta, & „ virtuti nuntium remittere ? „ I mecum ad Benedictos, Bernar- „ dos , Anſelmos ; alióſve ve-

„ ræ felicitatis arbitros, & audies eos „ ſolos eſſe felices, qui animæ pe- „ ricula cavent, Deum amant, dæmo- „ nem triumphant; quibus conſcien- „ tia curæ, mundus contemptui; quos „ delectat probos, & probitatem tueri; „queis edendi, dormiendi, agendi nul- „la alia voluntas, niſi quam ſobrietatis, „ temperantiæ, & prudentiæ leges de- „ finiunt. O Quantum ab hac fe- „ licitate differt peccantium calamito- „ ſa infelicitas!

18. Quære primò quid res ſit, dein debitum reſponſum ſubde, Sit itaque. *congeriem Repetitionũ & complexionum*

„ Finge ſanquinea prælia, horren- „ das clades! quidquid horroris dixe- „ris, horribilius invenitur in peccato. „ Finge ſuis terribiliter effuſum alveis „ mare; terribiliùs in urbes & oppida, „ in caſas, & aulas graſſatur peccatum. „ Pone tibi ob oculos redivivâ Penta- „polis hiſtoriâ calamitosè de cœlis ca- „ dentia incendia! calamitoſiùs qua „ latè patet, orbis univerſus ſuccendi- „ tur igne peccati. Da locum, quem „peccatum non profanat? doctrinam, „ quam non infatuat? virtutem quam „ non proſcribit? Quid eſt peccatum? „in ſcena cataſtrophe, in foro lis, in au- „ lis ambitio, domi ſocordia, militiæ

„crudelitas, in oculis libido, in ani-
„mo vermis, in vita clades, in mor-
„te interitus. O hominem! non ho-
„minem, qui ſe peccato contemera-
„re non veretur!

182. Elogia, aut vituperia.

19. Recenſe elogia, aut probra cuidam bono, vel malo attributa viro, quem æſtimant auditores, & applica materiæ ſubjectæ e. g. Velis laudare S. Benedictum, ſic per Apoſtrophen efferes. Perge Auguſtiſſime Rex Chilperice, dic S. Germanum Ep. *arcam reorum*; dic eruditiſſime Milo B. Lanfrancum *Bibliothecam divinarum litterarum*; dic illuſtriſſime Hariulphe S. Arnulphum Sueſſionenſem antiſtitem *Conſervatorem catholicæ fidei*: laudes veſtras à filiis derivabo in patrem, & dicam ego S. Patriarcham *arcam reorum*, ſubde rationem; *Bibliothecam* &c. Huic Loco materiem fæcundè præbebunt vagi Probrum, & Elogium. In theſi noſtra exemplum ſit.

„Unde non jam miror ego illa ver-
„borum fulmina à Sanctis, à Chri-
„ſto, à Deo in peccatores detorque-
„ri, cùm nunc dicuntur *animarum*
„*parricidæ*, nunc *Deicidæ*, nunc *geni-*
„*mina viperarum*. Sunt etenim. Adde ſingulis probris per debitos Locos, & figu-

figuras, ſuam rationem, & aperies tibi patentem campum amplificandi.

20. Materiam ſubjectam ab Enumeratione partium per figuram Hypotypoſis, aut interrogationis delineato. Sed etſi hic Locus magnum orationi afferat ornatum, potius tamen dici debet deſcriptio, quàm definitio. „Nam „quidquid mihi in peccatore recenſueris, aut malum eſt, aut mali fomes. En tibi oculos: ſedes ſunt „curioſitatis; en tibi cor: inſtrumentũ eſt iniquitatis: en tibi totum corpus: officina eſt improbitatis. An „non animam peccatoris dicamus „cloacam omnis immunditiæ, intellectum ſcholam inſipientiæ, voluntatem ſedem malitiæ, memoriam „habitaculum omnis fæditatis?

partes totius

21. Coacerva varia ſynonyma ſeu per verba, ſeu per adiectiva, aut ſubſtantiva, & tribue rei ſubjectæ per aptam figuram. „En Quidquid horrificum, quidquid terribile, quidquid „formidabile dici poteſt, includit peccati fæditas, ſuperat peccati colluvies, ac producit peccati fætor intolerabilis. Sis ſapientiſſimus, ſi peccas, inſanis. Sis nominis tui gloriâ per orbem celebris, ſi delinquis, „famam

153. Synonymiam

„ famam prodigis. Sis ſeu ruſtici gau-
„ ſape, ſeu civium toga, ſeu militum
„ ſago, ſeu Pontificum tiarâ, ſeu Re-
„ gum purpurâ inſignitus, ſi gravi no-
„ xæ conſenſeris, vitæ, & ſtatûs tui
„ pulchritudinem miſerè contemeras.
„ Quis ergo ſit, qui hæc videt, intel-
„ ligit ac capit; & tamen peccatum
„ non timeat, non formidet, non ca-
„ veat, niſi ſtolidus, inſipiens, & è ſta-
„ tu mentis ſuæ dejectiſſimus ſcelerum
„ choriphæus?

eruditiones veterum

22. Pro clauſula hujus fæcundiſſimi Loci notes quoque velim 1. veterum eruditiones, ut ſi hominem ſtolidum dicas Abderitanum; voracem Milonem; impuram fæminam, urbis hujus venerem &c. ad quas colligendas ſerviet vagus *Flores*, 2. nominum mutationes, ut ſi dicas Sanctum quendam in propugnanda Eccleſia DEI Bernardum, in illuſtrandis divinis litteris Rhabanum, in docendo ſcientias Alcuinum. Ubi tamen attendas auditores. ſi enim neſcirent e.g. Alcuinum excelluiſſe in tradendis ſcientiis, hæc definiendi ratio ſua vi deſtitueretur. 3 Duas perſonas æquipara in una re, in altera eam præfer, quam tibi dilaudandam aſſumpſiſti; uti ſi dicas

mutationes nominum

æquiparationes perſonarum

eas S. Benedictum Ducem, & eum pronunties in Vigilantia Julium Cæsarem, fortitudine autem, aut victoriis Cæsare longè mirabiliorem. 4. Uni personæ (aut etiam rei licet rariùs) singulari tribue varia substantiva, tam masculina, fæminina, quàm neutra, uti si dicas peccatorem probrum generis humani, infamiam statûs sui, hostem virtutis. Ex his quatuor Locis definitiones conglobatæ pulchrè adhibentur. *singularium*

184. Annotationis in

II. Etsi Locus ab Annotatione explicet naturam totius rei, nolim tamen ut ejus tibi sit frequens usus, nisi ultro in calamum tuum influat. Est autem nil aliud, quàm ratio inquirendi verborum originem, & significationem. Unde cùm credamus verbis non casu, sed magno numine suam inditam significationem, nonnunquã utile ad delectandum, amplificandum aut etiam probandum (licet rariùs) argumentum ex Annotatione deduci potest. Uti si probes B. Thientonem nostrum fuisse insignem Abbatem. Illum Prælati gloriâ honoramus, qui cæteris à virtute, prudentia, fortitudine prælatus est.

Huc

nominibus propriis

Huc pertinet omnis investigandi quidpiam in ipso nomine ratio, seu id fiat dismembrando partes, seu transmutando litteras. Si dismembres partes nominis præcipuè proprij, prodit nonnunquam potissimùm ad laudandum, vel vituperandum insignis materia; uti si dicas Adelivivam matrem S. Popponis ex veterum Germanorum Etymo **ein Adeliche Lieb**. S. Chunegunden nostram. **Deß Königs Gunst**. (veteres dicebant Gund pro **Gunst**) si dicas B. Hildebrandum dein Gregorium VII. **ein heller Brand**: eam nominis gloriam assecutus est factis, cùm libertatis Ecclesiasticæ defensæ velut illustris fax effulsit. Improbi mutato **e in ö** dixère S. virum **ein Höllen Brand**. Ex Germano dices S. Lifardum **ein Lieb-Arth**. S. Liobam **ein Lieb**. Similia sunt Fridericus **Fridrich**. Godefredus **GOttes Frid** Alredus **all Red**. Eodem modò ex aliarum linquarum etymo laudem elicies; uti si ex Anglico dicas S. Dunstanum *firmitatem petræ*. S. Guthlacum *belli munus*. S. Willibaldum *promptam voluntatem*. Nulla autem linqua hac in re fæcundior est quàm Hebræa, Chaldaica,

daica, & Græca. Ex hoc fonte dices Abrahamum *patrem multitudinis*, Baruch *Benedictum*, Magdalenam *Magnificam*, Mariam *amaritudinis mare*. Jesum *Dominum Salvatorem*. Si plura voles, adi Sacra Biblia, ubi ex Ven. Beda nostro integrum alphabetum fusè non sine gustu animi reperies, & B. Petri Dam. l. 5. ep. 13.

Substantivis verbis, & adjectivis.

Ferme fæcundior est Locus iste in Substantivis verbis, adjectivis. Ex S. Isidoro nostro beatum dices *bene auctũ*. Aliis *beatus* est à **Bene** & *eo*, quasi: *bene it*. Concordiam derivabis à *corde*, & *conficere*, quia conficit multa corda unum cor. *Caro* dicitur à *cadendo*, quia est ad casum prona. Ven. Beda noster in c. 1. Gen dicit cœlum à celando, vel celsitudine, aut cælatura. S. Isidorus l. 1. c. 1. de Gram̃. disciplinam derivat à discendo. *Humilis* dicitur à S. Anselmo in c. 2. Eph. quasi *humi alitus*, aut *humi acclivis*, à S. Isidoro *imis inhærens*. *Homo* ait S. Odo noster vocatur ab *humo*. Plurimi ait Jo. Trith. noster damnantur: hinc *infernus* dicitur ab *infero*. *Imago* ait S. Jo. Damasc. dicitur ab *imitando*, quasi diceres *imitago*. Plura brevi colliges in rem hanc, si curæ

tibi

177. *Germanismis, &* tibi fuerit *Vagus Etymon* de quo p. 2. n. 96. Duo autem hîc potissimùm cavenda sunt. Imprimis: si germanicè tibi dicendum foret, ut hunc Locum prudenter usurpes. Nonnunquã tamen præbet acumen, ut si dicas superbiam **Hof-Arth / sterben / und erben gilt den Frommen für ein Ding**: cùm mortem, adeunt hæreditatem. Alterum est, quod caveas velim, ne ex verbis hybridis deducas nominis etymologiam. Hinc non probo eum, qui ex Hebræo *Is*, quod virum, & Gallico *arnus*, quod acutum significat, dixit S. Ysarnum *virum acutum*: ut enim nulla est Gallici, & Hebraici idiomatis cognatio, ita nulla vicaria nominum significatio.

verbis hybridis rejectis ex

Significatione opposita etymo.

Duo præterea cures velim. Primò, ut, si in hoc Loco materiam indagas, investiges significationem etymo oppositam. e. g. Quid invenis in bello bellum? in luco lucis? in oculis ocultum? Idem dic de nominibus propriis, e. g. O. S. Tetrice, quid in te tetricum? S. Veneree, quid in te venereum? S. Lupum nostrum dic insignem pastorem oviumChristi: quis jam timeat, si è Benedicti legibus etiam lupi tuentur ovile Christi? Minùs placent

cent coactæ Annotationes, & è diminutivis eductæ, e. g. Grandis ego impudentiæ reum dixero, qui Reólum virum tam ſanctum &c. ullius labis reum auſeris proclamare. Valet etiam in Germanico ut ſi dicas S Grimbaldo abb. **Du wirſt benambſet ein Grimm Wald ich ehre dich als ein Paradeiß der Sanfftmuth.** Alterum, quod cures velim, eſt rei faciendæ cum nomine convenientia. Sic Probo, opera improbitatis, Benedicto opera maledicta, Chriſtiano opera antichriſti graviter exaggerare potes; & imperare, ut aut Probi, Benedicti, Chriſtive nomen ponat; vel probam, benedictam, chriſtianámve vitam ducat. Ex hoc Loco Pulcheriam, Gratiam &c. lapſas potenter hortaberis ad veniam, & Prudentium ad fugam ſæculi, Specioſum ad virtutem. Cæterùm illa ratio dicendi, qua alicui vel ad laudem, vel vituperium complura nomina tribuuntur, ac ſingulorum quædam interpretatio per Diſtributionem ſubjungitur, non tam Annotatio, quàm Definitio dici debet. Reviſe, quæ ſupra de Definitione diximus. Exemplum habe in noſtra theſi.

convenientia nominis, & muneris: in

H „Hinc

„Hinc ex merito bonus quisque „vos dicit orbis dedecus, bustum in„fernale, fæculentum cadaver, bru„tum pecus, incorrectam impietatem. „Date namque, ut ego exaggerem „omne totius, qua latè patet, orbis „dedecus: orbis dedecus vos estis. „Vultis ut æterni incendij quandam „vobis imaginem exhibeam? oculos „in vestram mentem convertite: bu„stum infernale vos estis. Licétne „mihi, ut teneris vestris, ac optimo „perpetim odori assuetis naribus affe„ram fætidum, putridum, vermibus „scatens, putredine diffluens ca„daver? tam fædum cadaver vos estis. „Tollite hoc dedecus; & redibit or„bi suum decus. Tollite hoc bu„stum; & reflorebit reipublicæ suus „viror. Tollite hoc cadaver; & re„surget conscientiæ vestræ vita, salus, „quies, spes, & constans mentis bea„titudo.

186. *Exordiis litterâ solùm unâ vel alterâ mutatâ.*

Cæterùm Annotatio pulcherrimum locum habet in exordiis, illa præcipuè, qua unica littera mutatur; uti si per Prosopopœjam de electo ad abbatiam dicas. „Gemmis (saxis potius dicam) mitræ vestræ non honorâstis, sed onerâstis caput meum. Similia

milia ſunt, ſi ſyllaba in medio adiicitur, ut ſi dicas de oratione, & efferas hunc in modum. Non prædicandi, ſed precandi titulo &c. adſum.

Quod denique attinet ad illam rationem, qua non ſolùm ſyllabæ, ſed omnes litteræ diſmembrantur, ita ut prodeat ſervatis iisdem litteris, transpoſitis tamen, prorſus alia ſignificatio, plus laboris, quàm decoris habet; ac dicitur illud nomen, quod mutatur programma; id, in quod tranſit, anagramma. Sit de B. V. Maria programma *Sine macula*, & prodit anagramma *luces anima*. Ad eum modum ex programmate de S. Joſepho *Vir Maria*, prodit anagramma. *Iure amari*; ex programmate *Euchariſtia*, anagramma *vis Theriaca*. Si nimium coacta non ſunt anagrammata, præbent (in genere potiſſimùm demonſtrativo) amplificandi latum campum, & orationi afferunt decorem. *Anagrammatum*

Quibus autem regulis ſit inſtituenda anagrammata conficiendi ratio, ex libris diſces, & ad A. Induſtria excerpes, quæ didiciſti. Demum pro clauſula hujus Loci, ſi prudenter uſurpetur, haud inutilis, habe per Analep-

ſin & correctionem è theſi noſtra exemplum.

„ At verò hæc vos non auditis, ſed „pergitis in ſceleribus veſtris. Eti„amnum horrent Angeli aurem veſtrã „plenam curioſitate, oculum plenum „libidine, cor plenum ſpurcitiis. Nil „autem magis mirantur, quàm caput „veſtrum. Capit id ſiderum rapidos „curſus, & velocitatem, qua ad orcum „peccatis veſtris raptamini, non capit. „O miſerum caput! Capit varia ſci„entiarum arcana; & Divinæ Neme„ſis, queis ſemper in ſceleſtos animad„vertit, ſupplicia non capit. O ſto„lidum caput! Capit oblectandi ſen„ſus, ſenſuumque libidinem difficiles „leges; & rationis, conſcientiæ, Dei „ipſius præcepta, quæ neminem non „ad virtutis ſtudia compellant, non „capit. O impium caput! ſed quid „caput ego veſtrum accuſo? malitiam „potius accuſare debuiſſem intolera„bilem. Quis veſtrûm non capit, in „caput veſtrum jam cudi ab irritato „Deo fulmina? ſi id non capitis, rei „eſtis. Quod capiti veſtro tantâ con„tentione inclamo, capietis, ubi capti„vi ad æternam captivitatem abduce„mini.

III. Ag-

III. Aggredimur Locum, quo nullus forſan aut tractatu facilior, aut uſu fæcundior, vel auditu ſuavior. Eum à ſuo munere dicunt rationem, qua aliquod totum dividitur in ſuas partes. Quotuplex igitur eſt natura totius, totuplicem aſtruimus partium Enumerationem. Illud ſi attendis, aliud eſt generis, aliud artis, aliud moris. Totum generis eſt, quod ſub ſe continet plures ſpecies; ut virtus, peccatum, Animal, ſidus, elementum, præmium, ſupplicium, & omnium titulorum Vagorum materia genericè ſumpta uti *Auctores, Gratia* &c. Virtus complectitur Fidei, Spei, & omnium virtutum chorum; uti peccatum, ſuperbiam, & omnium ſcelerum farraginem. Animalis ſpecies ſunt leo, urſus &c. ſideris ſol, luna &c. ut de elemento nil dicam, præmium ſub ſe continet honores, opes, amicitiam: ſupplicium rotam, rogum &c. Vagorum, & aliorum generum ſpecies facilè diſces ex ſuis titulis. 2. Totum artis eſt templum, palatium, corona, annulus, enſis, & omnia artefacta omnium artium, ac id non dividitur in ſpecies, ſed partes. Sic ſi templum dilaudes, divides in aras, turres, parietes,

187. Enumerationis partium: in toto generis

artis

tes, imagines, ſtatuas, ornatum &c. Eodem ritu dividis palatium, aut aliud artefactũ. 3. Totum moris eſt, quod neque partes, neque ſpecies phyſicas habet; illæ tamen, aut iſtæ per allegoriã tribuuntur toti, acſi inſitæ eſſent ex ipſa naturâ. Primi exemplum ſit vita humana, militiæ; ſecundi, mens ſancti hominis aulæ comparata. Militia dividitur in velitationes, in prælia, in hyberna &c. Iam ergo ſi ſingula membra transfers ad vitam humanam, dividis totum moris dicendô. Haud longiora ſunt hujus militiæ hyberna, quàm ſomni ſpatia. Vix expergiſceris, evocaris ad prælia. Velitandum, cùm ſenſus titillat; pugnandum cùm dæmon allicit, aut mundus blanditur. Dein pergis ad alias partes morales, uti ſunt arma, duces, commilitones, præmia promiſſa victoriæ. Et dicis. Non timeas cum hoſte congredi; Chriſtus ille Bellidux tuebitur inter pericula, hoſtium vim franget &c. Aula autem dividitur in muros inſigniter eductos, in ſolium, periſtromata &c. Transfer hæc ad ſanctam mentem & hujus aulæ muros dic quatuor virtutes Cardinales, ſolium dic ani-

moris

animam, Regem in ſolio ſedentem dic Deum, aulæ periſtromata dic varias virtutes. Vide quæ ſupra n. 15. de Definitione diximus. Hîc ſolùm notes velim, ut ſi ex hoc loco laudandi, aut vituperandi materiem cupis, illa in rem ſubjectam derives, quæ certa, & communi hominum opinione ſunt laude aut vituperio digniſſima.

4. Locus autem ab Enumeratione partium tum miro decore uſurpatur, cùm occurrunt voces ſignificantes univerſalitatem, aut multitudinem. Primi generis ſunt omnis, nemo, nullus; nihil, omnia. Uti omnes morimur: Cæſari aula, ruſtico caſa fit ſepulchrum. Nullus ſcit an amore, vel odio Dei dignus ſit: nullus cœnobita, etſi ſervet omnes regulas: nullus eremicola, etſi rigidam in fame vitam trahat &c. Secundi generis ſunt mundus, regnum, provincia, urbs, exercitus, turba, populus, ſenatus, tribus, ſtatus Religioſus, monaſterium, Academia. e. g. exercitus afflictatus fame: non gregarius ſolùm miles, ſed & centuriones, duces, tribuni, chiliarchæ, ipſe totius multitudinis Imperator ad ea à fame compellitur os afferre, quæ ſine nauſea nec oculis uſurpamus.

188. terminis occurrentibus univerſalitatis multitudinis, ſeu

explicitè seu implicitè, in rectò, vel obliquo

Cæterùm præbent hi termini multitudinis, aut universitatis eam amplificandi materiam, etsi implicitè involvantur in thesi aut exprimantur in obliquo. Exemplum sit S. P. N. apophthegma : *in omnibus glorificetur Deus* : in divitiis monasterij : ad usus pios impendantur; in incessu Ascetarum: spirent angelicam modestiam; in scientiis : deducant ad majorem Dei cognitionem.

189. *usu figurarum omnium certarum*

5. Etsi Locus iste ambiat omnes figurarum decores potissimùm tamen ornatur Anaphorâ, Analepsi, Conversione, & asynthetis, polyptotis. Ex figuris sententiarum Repetitionem exigit magno ornatu Interrogationem, Distributionem, præteritionem, Ethopœjam, Apostrophen, Exclamationem, Antithesin, & Prosopopœjam.

regulis tribus: per

Argumentum autem hujus Loci trino modo tractatur. 1. si negatis omnibus partibus neges totum. 2. si affirmatis omnibus partibus affirmes totum. 3. si rejectis omnibus partibus una aliqua affirmetur, aut vicissim. *Euseb.* Da exemplum. *Eub.* Do,& quidem primi per asyntheta.

„Et tunc damnabitis aures, oculos, omnes sensus vestros, sed serò nimis:

„nimis: quæcunque fuerant vobis in-
„ſtrumenta ſcelerum, erunt officina
„tormentorum. Talis officina erit
„caput, erit manus, erit pectus, erit
„venter, erit totum corpus. Ignis,
„ſulphur, horror habitabit omnia. 2.
„non erit vobis quidquam ſolatio:
„non quæ elapſa ſunt: fuerant cauſæ
„veſtri æterni exitij; non præſentia:
„ſunt horrenda tormenta; non futu-
„ra: ſunt perpetua omnis boni deſpe-
„ratio. In omnibus ergo membris
„veſtris eritis miſeri, nullo tempore
„felices ſed ſemper in perenni incen-
„dio, in ſocietate dæmonum, contra
„Deum blaſphemi, contra vos rabidi,
„contra omnes creaturas propudioſi.
„3. Aut igitur vultis hæc tormenta
„cautè evadere; aut miſerè operiri?
„Hoc vetat æternitas, vetat ratio,
„conſcientia, Sanquis Chriſti. Illud
„non ſinit cæcitas veſtra, veſtra pec-
„candi conſuetudo, prava ſocietas, ſu-
„perbia, libido. Cùm igitur nulla
„ſit tertia, qua evadatis, via reperiun-
„da, aut maturam pœnitentiam arri-
„pite, aut vobis ipſis æviternæ damna-
„tionis cuditis ſententiam.

6. Ad amplificandum Partitio ape- *190 Locos alios.*
rit ingentem theſaurum, ſi dividas

Antecedentia & conſequentia ; Adjuncta, & Effecta, ut de Genere, definitionibus conglobatis nil dicamus.

Antecedentium

Ut uſurpes Partitionem ab Antecedentibus, divide ea, quæ e. g. in noſtro exemplo damnationem ceu diſpoſitiones antecedunt ; uti ſunt mala vita, mala mors ; atque ſic per polyptoton m iſtâ interrogatione Diſtributionem, & Exclamationem efferes.

„ Atque eam tam infauſtam mor„tem vobis iam jam iminere boni „omnes timent. Quibus enim æter„na mors periculoſiùs inſidiatur,quàm „qui nullam bonæ vitæ habent ratio„nem ? qui negligunt virtutis ſtudia : „quibus unica abdominis cura ? quos „ipſa longa peccandi conſuetudo ir„retitos omni mentis propè, ſi non li„bertate , certè ingenuitate exuit ? Et „hæc malorum cùm ducitur vita,ma„li abripiuntur peſſimè ad decretori„am cum dæmone, & tota æternitate „ pugnam , & nondum ſciunt pugna„re. Cùm vita fluebat ad inſana vo„ta ; non Dei, non Deiparentis, non „Sanctorum petiêre patrocinia, quis „ergo in tam periculoſo mortis certa„mine vacillantes eriget ? territos fir-

„mabit

„mabit, periclitantes defendet? Ocu-
„los in Cœlum tollant? iratum Deum
„vident, quem contempsère. Ani-
„mum vertant ad Cœlites, averſos
„habent, quorum in vita auxilium ne-
„glexerunt. Si ſurſum ſe vertunt, Ju-
„ſtitiam divinam; ſi deorſum, infer-
„num; ſi ad latus, dæmonem vident.
„Intus mordet conſcientia, foris dam-
„nat omnis malè uſurpata creatura.
„O cæcitatem! O impudentiam! O in-
„ſaniam! Sperare ex mala vita bonam
„mortem, ſed cæcitatem, impudenti-
„am, inſaniam longè majorem eorum
„omnium, qui in mala morte, quæ
„ſcelerum, ſceleratorumque prima
„merces eſſe ſolet, æternæ damnatio-
„nis pericula non vident, non cavent,
„non timent, non formidant.

7. Ut conſequentia dividas, enume- *Conſequentium*
ra ea, quæ rem e. g. malam mortem
neceſſariò ſequuntur, & ſic amplifica-
re licebit Theſin noſtram per Aſynthe-
ton, & Proſopopœjam.

„An ignorant hi homines, aut po-
„tius hominum monſtra, quæ malo-
„rum Lerna malam mortem excipi-
„at? Si neſciunt, audiant ex inferis,
„ex damnatorum numero evocatum
„ora-

„oratorem. Malam mortem inquit, „ſequitur æterna damnatio. Qui ma„lè moritur, æternùm vivet inter dæ„mones, vorabit ſcorpiones, bibet „ſulphur; agetur in rotas, nec tamen „unquam conſcindetur; agetur in „furcas, nec tamen unquam ſuffoca„bitur; agetur in præcipitia, nec ta„men unquam conteretur, ut pœna „ſit ſuâ æternitate horribiliter mag„na, & ſuâ magnitudine horribiliter „æterna.

191. *Adjunctorum* 8. Recenſe illa, quæ rei ſunt advenientia, e. g. Locus in quo; perſonæ, quæ; modus, quo; tempus, quando punitur damnatus. En è theſi exemplum per Repetitionem, & Ethopœjam.

„Si ſantis verba non incutiunt pec„cati horrorē, moveant patientis ſup„plicia. Is, qui cruciatur, ſcit ſe Chri„ſti ſanquine redemptum, ad cœli „opes creatum; is, qui cruciatur, vi„det ſe in profundo, vaſtoque puteo „incluſum, ex quo emergendi omnis „præciſa ſpes eſt. Is, qui cruciatur, ſen„tit ignium ardores, frigorum algores, „ſerpentium morſus, vociferantium „horrendos clamores, nec quò ſe tan„tis tormentis ſubducat, erit ullum

effu-

„effugium, locus ullus, modus ullus, „ſpes ulla. Unde ſi oculos tuos damnatus quisque incurreret, videres „vultum furore, capillamentum vermibus, ventrem ſerpentibus repletum. Audires vociferandi, execrandi, ejulandi mille formas unam altera formidabiliorem.

9. Dinumera, quæ res ſubjecta efficit; & ſic ea, quæ ſeria inferni conſideratio in animo hominis producit, per Præteritionem, & Anaphoram. *Effectorum*

„Hæc ô homo ſi perpenderes, quàm „ſeriam virtutis rationem haberes. Abſterreret à peccatis mors, abſterreret „dæmonum ſocietas, abſterreret clamor damnatorum. Surgerent in „animo tuo firma emendandæ vitæ „propoſita. Nihil dicam de ſeria pœnitentiâ, nihil de cultu parthenio, nihil de peccati, Deique timore; ſed „honeſtas, probitas, virtutes omnes in „animam tuam, velut in illuſtre domicilium commigrarent.



§. II.

§. II.

Eruere argumenta ex Lapidicinis Conjugatorum, Generum, & Specierum,

192. *Conjugatorum ad*

1. EUsebius. Illuſtria ſunt, quæ dixiſti: num etiam aliis Locis tanta ineſt ad dicendum vis? *Eubulus* Haud minor, & nonnunquam multis major. In eô tamen differunt Loci allati ab afferendis, quòd illi totam rem, ſecuturi partem ſolùm rei explicent ea tamen fæcunditate, ut nihil rationum eum effugere poſſit, qui ſingulos Locos probè didicerit. Primum autem Locum, qui partes rerum eventilat, dicunt Conjugata ajuntque ex Cicerone in Top. eſſe ea, quæ ex verbis generis ejusdem, & ab una orta radice variè commutantur, ut ſapiens, ſapienter, Sapientia. Ita quidem, ut quod uni conjugatorum tribuis, tribuas etiam alteri, & quod uni auffers, auferas etiam aliis. e. g. Liberi malè educati ſunt Chriſtianæ reipublicæ nocentiſſimi: ergo etiam mala educatio. Virtus non eſt otioſa; ergo nec virtuoſi.

1. Ad

1. Ad probandum valent conjugata, si fulciantur similitudine quadam: uti in dato exemplo. Virtus æmulatur ignem; ignis non dicitur ignis, ni luceat, urat &c. Virtus non meretur virtutis nomen, nisi producat virtuosa opera. Eum ergo virtuosum dicemus, qui horas otiô terit? potius igni calorem, quàm virtuti, virtuosóve actionem abstuleris. *probandum*

2. Ut cognoscas quænam actio sit alteri aut in malitia, aut probitate præferenda, conferunt plurimùm Conjugata, ac præbent materiam, unam rem per alteram exaggerandi. Exemplum sit in thesi nostra. Magno quidem scelere se contaminat, qui impius in patriam cives impietate multorum innocentium sanguine haud saturandâ crudelibus hostibus prodit. Longè autem majus scelus audet, qui immani sacrilegio sacrilegas manus ipsi Deo injicit, denuo crucifigit. Vin' hos sacrilegos? tot sunt, quot peccatores. *cognoscendum*

3. Decorem etiam, simulque amplificandi apparatum suppeditat Locus iste, si conjugata conglobentur, e.g, suâ justi justitiâ, suâ fortes *ocnandum*

fortes fortitudine, suâ pii pietate grande nomen, & apud posteram ætatem laudis, & imitationis studia merentur; quantas ergo prærogativas non tribuamus virtutum magistris, qui virtute sua omni virtuti facem præferunt, virtuosorum vitam dictis, & factis alunt, & improborum impietatem è sapientiæ, zeli, & doctrinæ legibus sapientissimè, & zelosissimè, simul atque doctissimè damnant?

amplificandum 4. *Eusebius*. Sed quæ pertinent ad Coniugata? *Eubulus*. Verbum, & quidquid sine vitio sermonis derivatur à verbo e.g. *colo cultura*; *cultor*, *cultus*, *cultior*, *cultissimus*, *cultè*, *colendi*. Dixi sine vitio sermonis: ineptè enī è verbo *pecco* deduceres *peccatissimus* aut *peccatior*. Nec tamen usurpanda sunt omnia coniugata, ne appareat affectata ars, sed ea duntaxat, quæ stringunt adversarium, aut ornant orationem, aut locum præbent insigni alicui argumento, vel figuræ. e. g. Si Religiosum te jactas, cur non colis Religionem? aut nominis Honorē pone, aut Religionis opera sume. Illud sacrilegium, hoc votum est à te liberè, post maturam deliberationem emissum: ergo ni velis magno

magno te crimine polluere, opus eſt, ut tuam vitæ licentiam ſacris Regulæ legibus reſtringas. En hæc conjugata ſternunt viam ad alias vehementes rationes. e. g. Dominus non ſuſtinet famulum, qui negligit famulatum. Magnus Paterfamilias eſt Benedictus &c. non feret &c. Pulchra ſunt, cùm affirmativis conglobatis addis negativa ad materiam ſubjectam apta; uti: Ille pictor, qui pingendi; is cælator, qui cælandi leges novit, & exercet. Tu obedientiæ leges nec ſcis, nec exerces; & tamen obediendi ſtudiô te obedientibus ſi non præfers, certè miſces. En Euſebi poſitis talibus conjugatis ducéris recta via ad docendum, qua in re conſiſtat perfecta obedientia, nempe in affectu voluntatis, quo ſuperioris voluntas tanquam Dei voluntas colatur, promptâ rei imperatæ executione.

5. Denique abſtinendum cenſeo *prudenter* conjugatis eo loco, quô uſurpas illam celebrem figuram Polyptoton; ſi enim jungas caſibus, qui ab ipſa mutantur, conjugata, prodit, ut conſideranti patet, tum ſenſus obſcurus, cùm vitiosè affectatus. Quod utrumque ca-

I vendum

vendum oratori. Pro coronide habe exemplum ad thesin.

„Hæc cùm probi apud se pensicu„latiùs considerant, eáque à pec„catore, de cujus tamen ca„pite agitur, nunquam perpendi co„gitant; altùm ingemiscunt eum a„deò excæcari, ut nec servata peccan„tibus supplicia, nec innata peccatis „damna videant. Sine pauculos „menses dilabi, & miser sentiet ipsâ „peccandi materiâ ignem infernalem „fuisse succensum. Alio vultu, sensu„que peccatum aspiciet, cùm à seve„rissimo Judice evocabitur ad judici„um. O quanto cum horrore asta„bit judicanti circumseptus fæda la„tronum, furumque judicandorum „multitudine? cùm non habebit „quod accusatus reponat accusatori! „cùm eum convincet propria consci„entia, dæmon, Deus ipse! cùm „damnatis suis operibus justo Dei ju„dicio æternam damnationem ipse„met ex merito irrogari pronuntia„bit! Adeo nempe Deus cùm incas„sùm exspectat peccatoris pœnitenti„am, tandem detrudit peccatum, & „peccatorem in gehennam.

II. Quàm

II. Quàm insignem materiem eruendis argumentis suppeditet Lapidicina Generis, disces Eusebi, si solam ejus materiam ex me intellexeris. Omittimus hîc ea, quæ Philosophia de Genere disquirit, ac solius Rhetorices sensa præferimus, dicimúsque esse quoddam totum plures complectens partes, quadam communione sibi similes, specie tamen, & formâ differentes. Tale genus est peccatum, partes ejus superbia, avaritia &c. Nam peccati ut sic, ceu totius superbia pars est, cùm verè sit peccatum, & ita cum omni peccato communionem habet. Differt tamen specie ab aliis peccatis, quia sola superbia caret rectitudine humilitatis, qua ceu formâ constituitur. 194, *Generis*

2. Hoc Genus Rhetoribus triplex est, personarum, habituum, & rerum. Genus Personarũ complectitur omnes personas in aliquo statu, dignitate, rituque vivendi convenientes. Tale genus est Papa, sub se enim comprehendit Gregorios, Urbanos, Innocentios &c. Idem dic quoad ritum vivendi de Religioso, pagano, hæretico: quo- *Personarum*

ad dignitatem de Cæſarê, Rege ; quoad ſtatum de mendico, ruſtico, cive, quæ omnia ſubſtantiva complectuntur certas perſonas, ſub certo numero, nomine , loco &c. & aliis adjunctis velut ſuas ſpecies.

habituum 3. Ad Genus habituum ſpectant virtus, peccatum, ſcientia, ars, opificium, & eæ omnes qualitates, quæ frequentatis actibus acquiruntur.

Huc pertinent ſubjecta habituum, uti ſunt ſuperbi, avari, humiles, liberales, artifices, docti &c. In ipſis enim ſubjectatur ſuperbia, avaritia, humilitas, liberalitas, ars, doctrina.

rerum 4. Generi rerum attribuit Rhetorica omnia ea, quæ ſub ſe veras ſpecies continent, uti animal continet lupum, lignum abietem ; aut quæ ſe ad ſola individua extendunt ; uti urbs, templum, regnum ; in Romam, Lateranenſe, Hiſpaniam.

5. Theſis eſt quæſtio generalis, infinita, hoc eſt, nullis, perſonæ, loci, modi, aut temporis circumſtantiis limitata. Hypotheſis eſt propoſitio definita, certis perſonis, locis, modíſve illigata. Atque adeo omnis propoſitio ex his tribus generibus perſonarum, habituum, aut rerum de-

ſumpta

ſumpta eſt, & dicitur Theſis; quæ autem ſub perſonis, habitibus, vel rebus comprehenduntur, Hypotheſis vocantur. Unde Papa excommunicat; peccatum damnat, ſylva vaſta eſt, Theſes ſunt. Si autem dicam: Gregorius M. excommunicat, ſuperbia damnat, Hercinia ſylva vaſta eſt, Hypotheſes ſunt.

6. His Euſebi prænotatis ut ritè uſurpes LocumGeneris, ac ejus ampliſſima fæcunditate fruaris, Hypotheſis tibi ad Theſin revocanda erit. Exemplum ſit hæc quæſtio: ***Laudandus eſt S. P. Benedictus.*** En. S.P. ex n. 2. eſt Hypotheſis. Inquire ergo ſub quo genere perſonarum S. P. comprehendatur, & invenies eum inter conditores ordinum Religioſorum. Si itaque am excurras in genere in laudes Fundatorum Religionum, revocâſti Hypotheſin ad Theſin, & aperuiſti amliciſſimæ laudis aurifodinam potius, uàm lapidicinam. *195. revocando Hypotheſin ad Theſin in Perſonis*

Idem dicitur de habitibus. Velis g. exaggerare nefaſta ſuperbiæ amna, abducito tuam orationem à ecie ad ſuum genus, & exaggera amna generis, hoc eſt peccati ſimili odo e. g. per Comparationem. ***habitibus***

Verùm enim verò ut peccati ti-
»bi horrorem ob oculos ponam, haud
„ópus eſt; ut in infernũ deſcendamus;
„ipſe, quem conſpicimus, mundus
»peccatô infernus efficitur. Enume-
»ra ſis, ſi potes, damna, clades, cala-
»mitates hujus inferni: urit mala con-
»ſcientia, torquet metus jam imi-
»nentis divinæ Juſtitiæ, obnubilant
»tenebræ deſperationis: mens ipſa
»peccatoris tortura eſt, ſartago eſt,
«rota eſt, cippus, trochlea, furca, for-
„ceps, ſulphur, ignis, & viva æternæ
»damnationis imago. Incedat pec-
»cator: ducitur à dæmone; virtutem
»exerceat: caret meritô; inclamet
„opem amicorum: nequeunt juvare.

rebus Eodem modo potes orationem con-
vertere ad genera rerum: vides e. g
canem vulneratum, conclave tene
bricoſum, aut lutum plateæ; abduc
particularitate propoſitiones, & loc
canis pone animal, loco vulnerati
dic ægrum; conclavi tenebroſo ſul
ſtitue ergaſtulum horridum; luto pl
teæ ſuffice omnium ſordium cloacar
Et ſic erues novas ad probandum ho
rorem peccati rationes.

» A

„ Age brutum aliquod animal tibi „imaginare, cui vires depaſcit occul- „ta quædam lues: novit id ſalutares „ſuæ valetudini herbas: nullum, quo „morbo ſuo medeatur peccator, ger- „men totius naturæ horti proferunt. „Imaginare tibi ergaſtulum horridum „tetricum, ſquallidum; nonnunquam „tamen luce quadam pervaditur: „illuſtrando peccatoris animo nun- „quam ſufficient omnes hujus lucen- „tiſſimi ſolis fulgores. Imaginare tibi „fætidam omnium ſordium in unum „locum confluentium cloacam; mul- „torum tamen induſtria, & labore „emundari poteſt: conſpirent omni- „um hominum artes, & indefeſſi la- „bores; cloacam illam (mentem dico „peccatoris) nullis humanæ ſagacita- „tis, aut molitionis viribus unquam „repurgabunt. NiDeus ipſe medicam „opem, lucem ſuæ gratiæ, manum „ſuæ potentiæ apponat, fruſtra quæ- „ritur mundities cordis, lux conſcien- „tiæ, & ſalus animi ægrotantis.

Simili modo Euſebi cùm oratio- nem permiſeris in genera exſpatiari per inſignem figuram e. g. Inter- rogationis, reducis ad propoſitam

quæſtionem e. g. ſuperbiæ hac ratione. Audiſtíſne damna peccati? quàm grandia, horrida illa ſint, altúmne menti veſtræ impreſſiſtis? Quàm damnoſa ergo erit ſuperbia, quæ inter peccata nocentiſſima &c. Pergis dein e. g. ab effectis id probare: ſuperbia regum vertice coronas excutit; populatur regna, cœlum ipſum ab hac lue haud immune fuit.

199. *advocando genera Locorum aliorum: in*

7. Ad uſum hujus Modi admodum proſunt genera aliorum Locorum. e.g. genus temporis, modi, teſtium, experientiæ, doctrinæ, & cæterarum rerum; quæ in allatis tribus generibus includuntur. Venuſtè dein tranſitur ad ſpecies generum vel ſtatim, ita ut generi ſubjungatur ſua ſpecies; vel ut poſitis omnibus generibus eodem ordine ſingulæ ſpecies per apodoſin, (de qua infra n. 385.) ſubdantur. En exemplum.

„ Atque id veriſſimum eſſe quis „ unquam auſerit dubitare. Percurre „ quamlibet temporum ætatem, & „ invenies eam doctrinam ſemper in „ Dei populo viguiſſe. Quis in rem af- „ ferat & multitudine, & auctoritate „ graviſſimos teſtes? Quis illã dicendi, „ docendi, ſcribendi vim explicet, qua

illam

„illam ipſam, qua de nobis ſermo, pec-
„catoris miſeriam, nunc in roſtris pro
„concione, nunc in colloquiis pro in-
„ſtitutione, nunc in libris pro omni
„ſecutura hominum ætate ad horro-
„rem uſque exaggerârunt.

En jam per Apodoſin affer ex Notis, quid ſentiat Gregorius, Anſelmus &c. In vago Chronologia invenies, quo tempore quisque teſtium vixerit, & ſic facilè erit, quod propoſuiſti, probare.

8. Porro notitia generis ſummè neceſſaria eſt in Narratione hiſtorica. Si velles itaque illam S. Benedicti de cœlo deſcendentis, armati, & ſagittas in Normannos hoſtes detorquentis ex Leone Oſtien. l. 2. c. 46. deſcribere; non debes ſemper manere in ſpecie primi Generis, de quo n. 2. ſed debes genus exprimere, & S. Benedictum ex Loco Definitionis nunc vocare Ducem, nunc Induperatorem, nunc heroëm. Quod ni obſervet orator, prodibit ex ejusdem nominis repetitione inſulſiſſima oratio. *Narratione hiſtorica.*

9. Idem ſentiendum eſt, ſi tibi ſumis quendam in individuo laudandum, aut vituperandum. Non honorares, ſed confunderes adulatori ſimi- *laude, vel vituperio perſonæ privatæ.*

 lis

lis tuum Superiorem, ſi ipſi gratulandô natalitium feſtum excurreres in ejus geſta. Quid ergo opus? revocandus eſt abbas, aut is, cuicunque gratularis ad Theſin, & dicendum. Illi Superiores (en genus) qui magnum in faſtis noſtris nomen meriti ſunt rerum gerundarum dexteritate, erga litteras, & litteratos æſtimatione &c. mirum in modum excelluerunt. Cumque plura, quæ Superiorem commendant, attuleris, redibis ad hypotheſin, & breviter dices. Harum rerum omnium vivam imaginem &c. in te conſpicimus &c. Et illico pergis ad epilogum dicendo. Quid igitur mirum, ſi nemo noſtrûm, qui non totus in eo eſt, ut dies, annosque fauſtiſſimos è noſtris annis prorogemus? Vide quæ §. 1. de Definitione, & Enumeratione partium diximus, queis duobus Locis Genus mirificè fæcundatur.

197. Speciei

III. Veluti tota Generis ratio ferme in Hypotheſi ad Theſin reducenda conſiſtit; ita quoque Locum Speciei abſolvit, qui Theſin ad Hypotheſin revocat. Prænotatis igitur illis, quæ n. 2. 3. & 4. de Genere diximus, à Specie argumentaris, ſi quæ-

quæstionem (propositionem vocant Philosophi) Generis ad subjectas species dilatas. Velis itaque probare, quàm multa præbeatur à peccato scribendi materia; pone primo Genus h. e peccatum, dein distribue in suas species Superbiam, invidiam, otium &c. simili ratione per similitudinem.

„Accedit ad hujusce rei horrorem „orthodoxæ fidei inconvulsa auctori„tas. Volve, & revolve sacri cano„nis libros, & invenies peccatum „quodvis morbum esse, cui solus De„us mederi possit. Dicamus ergo su„perbiam insanabilem hydropisin, in„vidiam insanabilem icterum, luxuri„am insanabilem febrim, & nimis pa„rum dicimus. Quis non videt oti„um lethargô, avaritiam chiragrâ, „elephantiasi quamvis malam consue„tudinem pertinaciùs miseris morta„lium animis inhærere?

triplicitèr per

2. Atque hæc à Specie argumentandi ratio triplex est. Prima per affirmationem, cùm affirmato Genere subjungimus Species per varias figuras, Secunda per negationem cùm

cùm posito per affirmationem Genere afferimus aliquas species sub particula negativâ, ut subsequentes species potentius exaggeremus. Tertia per inductionem, cùm ex multis speciebus in medium allatis concludimus genus. En ad propositam nostram quæstionem de singulis exemplum.

affirmationem Et quidem per species à genere habituum sumptas sic loquéris quoad primum modum è figura Distributionis per apodosin.

„Et licet se res ita habeat, peccator tamen miserrimam suam sortem „non agnoscit, sceleribus undique ob„situs de nullo scelere dolet, & non „raró se innocentem jactare, quin e„tiam de malo pejus gloriari audet. Et „id audet tum, cum reus agitur fur„ti, impietatis, perfidiæ, luxuriæ, per„tinaciæ, impudentiæ à propria con„scientia. An non enim furti ille re„us erit, qui Deo abstulit suum hono„rem? Eum impietate quis immunem „dixerit, qui cælesti Patri Divinum „filium denuo in crucem agit? An non „perfidiæ convincitur, qui datam Deo, „Ecclesiæ & Superioribus fidem pro„tervè violat? Quid dicam de luxu„ria, de perfidia, de impudentia? Quis-

„Quisquis enim peccat , abutitur „turpiter ad ſuam libidinem creaturis; „pertinaciter ſenſuum illecebris inhæ-„ret, reclamante Deo, lege, & con-„ſcientia ; jura humana, & divina im-pudenter invadit.

Per ſpecies autem à Genere perſo-narum ſumptas ſic loquéris quoad ſe-cundum modum è figura Gradationis, & Exclamationis.

„Et tamen peccator ſecurus dormit „in ſceleribus ſuis. Fruſtra ipſum gra-„viſſimi, in quo verſatur, periculi ad-„monent non ſolùm divini verbi præ-„co, angelus tutelaris, ſed & ipſa pro-„pria conſcientia. Incaſſum clamant „non ſolùm in cathedra Pauli, in Aca-„demiis Neoti, ſed & ipſe Chriſtus in „cruce. O impietatem! non impie-„tatem, ſed & ſtultitiam! O ſtultitiam! „non ſtultitiam, ſed etiam inſaniam!

Tandem per ſpecies à Genere rerum ſumptas ſic loqueris quoad tertium modum è figurâ Apoſtrophes, & com-municationis.

„ Túne igitur O peccator miréris, „ſi ſol ſuum tibi lumen negaret! ter-„ra ſub pedibus tuis dehiſceret! aqua-„rum vortices te abſorberent. Me-„ritus es, ut leones tè dilacerent, rotæ

con-

„conterant , ſaxa contundant , ig-
„nes comburant , omnes denique
„creaturæ in exitium tuum nullo
„dato pœnitentiæ loco conſpi-
„rent?

Exordiis

3. Locus à Genere , & Specie plurimùm conferunt ad decorem orationis in exordio. Velis e. g. S. Benedictum laudare à zelo animarum ? excurre in exordio in genere ad ejus virtutes , ac proba ſis ab Adiunctis , & Effectis, quàm eæ ſint præſtantes , & tum perges ad zelum. Aut econtra ſi velis panegyrim pangere de ejus virtutibus in genere , prodibit inſigne exordium , ſi proferas ejus virtutes in ſpecie : rigores , ſtudium orandi , obedientiæ &c.

Deſcriptionibus

4. Denique magnam ad ornatum virtutem habet Species , ſiqua res per hypotypoſin velut oculis ſubjicienda eſt , v. g. hortus : pulchrè tum digredieris ad Species arborum, florum , herbarum : ac dices hîc rubent roſæ , candent lilia. Reviſe in rem dicta §. 1. de. Enumeratione partium n. 187.

§. III.

Eruere argumenta ex Lapidicinis Similitudinum, Dissimilitudinum, & Oppositorum.

199. *Similitudinis convenientia rerum attentâ in qualitate quadam.*

1. Quæcunque aspicis Eusebi, etsi loco, & indole sint dissitissima, pollent tamen aliqua qualitate, in qua conveniunt. Quid magis dissitum videtur, quàm Deus, & leo, & tamen quia in hoc aliquid illius reperire est, Deus se Leoni de tribu Juda assimilare non dedignatur. Hæc itaque, quæ in rebus invenitur, convenientia præbet huic Loco materiam, & leges, & nihil est aliud, quàm oratio, qua traducit orator ex re dispari ad rem aliquam qualitatem similem e. g. cæcus, & peccator sunt duæ res dispares; in utroque tamen invenitur quædam qualitas, qua similes evadunt scilicet periculum labendi: ille nescit, cùm incedit, se ire ad præcipitium, hîc ignorat, cùm peccat, se properare ad æternum exitium. Cùm itaque voles ex hoc Loco argumentari, dispice, cuinam rei quæstio tua, quam tractas, in aliqua qualitate convenire possit. Tum

laudis, & vituperij

Tum autem curandum tibi, ne, si laudas, similitudinem petas abs re infami; aut si vituperas; inquiras simile in rebus sanctis, pulchris &c. e. g. laudas in viro docto velocitatem mentis: non dicas. Velut dæmon in momento alium, & alium locum pervadere potest; ita vir doctus alia, & alia scientiæ arcana. Sed dic: inest viri docti animo vis quædam angelica: cupis, ut agat astrologum? illico cœlum conscendit, & solis magnitudinem dimetitur. Cupis, ut sumat sibi munus geometriæ? illico in vastissima regna excurrit, & alta montium, plana camporum ad calculum revocat. Præterea qualitas, quam venaris in rebus, debet esse nota, & in hominum existimatione pollere quâdam prærogativâ. Sic malè pro concione simplicium comparares vitia alchimiæ: hi enim cùm nesciant: quid sit alchimia, nequibunt vim similitudinis penetrare.

amplissimâ per

Hac limitatione observatâ cùm in omnibus ferme rebus hæc, de qua dicimus, convenientia reperiatur, similitudo peti potest ex dictis, factis; cœlo, terrâ, mari, fabulis &c. omnibus creaturis, etiam ex rebus supernaturali

ralibus, uti gratia, & ipſo Deo. Fit autem ſimilitudo venuſtè ſequentibus modis.

2. Inquire in rerum natura aliquid, quod in aliqua qualitate ſit ſimile illi, cui explicando manum apponis; & connecte utrumque per unam ex hiſce particulis: ***uti, ita, ſic, velut, pari ratione, eodem modo, non aliter, ad eundem modum, quemadmodum.*** e. g. velis illum peccati peſſimum effectum per ſimilitudinem declarare; quòd peccator nequeat actum meritorium elicere; invenies paralyſin, & dices.

200. particulas aſſimilitantes ſine

„Et hæc inſania nunquam eſt ſine „cæteris malis. Alii cæcitatem dicunt, „alii ſurditatem; alii epilepſiam; di„cam ego paralyſin longè miſerri„mam. Veluti enim illi, qui ex hoc „morbo decumbunt, licet conentur „procedere, pedem tamen nunquam „poſſunt proferre, ſed mortuis, quàm „viventibus ſimiliores jacent. Ita „quoque lethalis noxæ malô percuſ„ſus etſi nonnunquam deſideriorum „greſſu videatur conniti ad Deum, ad „cœlum, patriam cœleſtem; priſti„no tamen ſemper loco miſer hæret, „quoſcunque demum conatus inten-

„tendat, nunquam tamen vel unicum „gradum in virtutis ſemita facere po„terit. Aut paralyſis ſeriæ pœniten„tiæ medicamine ponenda, aut Spes „eundi ad cœlum omnis abjicien„da.

particulis aſſimilantibus 3. Profer ſimilitudinem ſimpliciter ſine ulla tali particula. Quæ ratio pulchra eſt, ſi ſimilitudines conglobentur: in re hiſtorica inſignes ſunt ſententiæ, quæ ex hoc loco ſumuntur.

„Quotus quiſque enim diu in hoc „deteſtabili morbo hæſit, qui non tan„dem omnem recuperandæ valetudi„nis animum depoſuerit? Qui è „morbo convaleſcunt, paulatim vi„res recuperant, redit cibi, potuſque „ſapor, inceſſum periclitantur. Ti„bi verò vis animi omnis flacceſcit; „deſipit omnis Spiritûs alimonia, nul„lum veræ virtutis motum cupis, aut „potes elicere. Heu luxurioſe Sar„danapále! verba tua ſunt in auribus „Dei grunnitus porcorum, anima tua „in oculis Dei putridum cadaver, vita „tua omnis morte quâvis fædior. Si„millima nempe inferni imago eva„dit, qui, quo ſolus infernus ardet, „peccatum committit.

4. Educ

4. Educ ex quavis re plures ſimilitudines, & cuivis ſimilitudini ſubjunge ſuum aſſimilatum. Idque fieri poteſt dupliciter; vel ut cuivis ſimili ſtatim ſubdas ſuum aſſimilatum; aut relatis omnibus ſimilibus, eodem ordine per apodoſin referas aſſimilata. En habe è quæſtione noſtra ſecundi exemplum in naufrago per allegoriam.

collatione ſimilium per

,,Quisquis autem te non ſinis cogi-
,,tatu deduci in infernum, mecum ma-
,,re adi, & ex naufragi periculis tuam
,,calamitatem metire. Vehitur ille
,,ſecundis ventis per criſpatam aqua-
,,rum malaciam. Subitò conſpiran-
,,tibus cum Borea Euris abripitur, ſur-
,,gunt aquarum montes, navis alliſa
,,rupibus miſerum nautam in mediis
,,procellis ſine ope, ſine ſpe, ſine cõſilio
,,deſtituit. Clamet? non auditur.
,,Anhelet ad littus? non videt. Ob-
,,luctetur fluctibus? non poteſt. At-
,,que adeo non tam cum fluctibus,
,,quàm cum ipſa morte luctatur. Ita
,,quoque miſer homo alludenti-
,,bus blandæ fortunæ favoniis per
,,placidam ſuæ ſecuritatis quietem na-
,,vigat. At repente cooritur gravis ten-
,,tationũ tempeſtas, cõcitantur hor-

apodoſin ſubjectam, aut

„ridi prohibitarum voluptatum flu-
„ctus, donec misera mentis navicula „in syrtes, & scopulos fœdissimi con- „sensûs abripiatur non sine irrepara- „bili jacturâ bonorum, amissis gratiæ, „& virtutum omnibus mercibus tanto „studio, tot annorum labore compa- „ratis. Et miser naufragus non sua „duntaxat, sed & se in sui peccati vor- „ticibus amittit: æternæ mortis ima- „go ubique ob oculos versatur. si Cœ- „litum opem inclamat, non meretur „exaudiri; si novis tentationum pro- „cellis obnititur, non potest; si ad „pœnitentiæ littus enatare nititur, „non seriò laborat. Sicque miser non „tam in peccatorum quàm inferni „vorticibus jactatur omnis auxilii, „spei, & consilii indignus. Exemplum autem primi cape ab eodem naufrago desumpta materia per Distributionem, & Interrogationem.

201. *enumerationem continuam*

„Quid si naufragus iste è manifestis- „simo pereundi discrimine in littus e- „vadat, se tamen in eosdem vortices „præcipitet? Tu es ille: facto inno- „centiæ tuæ naufragio submissâ mise- „rante Deo pœnitentiæ tabulâ in di- „vinæ gratiæ portum iterum, iterúm-

„que

„ que emerſiſti : & tuâ malitiâ excæ-
„ catus à tuis te vitiis in priorem tem-
„ peſtatem agi ſinis. Et ſic deinceps graviter poteris ex hoc Loco recidivæ malitiam exaggerare.

5. Vehemens , & pulchrum eſt argumentum à Similitudine , ſi plures ſimilitudines præmittuntur ad unam rem concludendam , ita ut unaquæque rem ſubjectam declaret , & quaſi ob oculos ponat. e. g. Velis ſæpius recidivi peccatoris pericula deſcribere , affer ea , queis ſæpius iteratis ſequitur interitus, & ſingulis recenſitis conclude ea omnia convenire recidivo. Præbeo amuſſim.

conglobatione ſimilitudi. num per

„ Quid igitur mirum , ſi tandem
„ æternum tuæ ſalutis naufragium
„ incurras. Eſt , qui ſæpius letha-
„ li febri corripitur ; & certò extin-
„ guetur : Eſt , qui ſæpius parrici-
„ dii convictus ; & certò ſuſpende-
„ tur. Eſt , qui ſæpius vertigine
„ actus per præcipitium currit ; &
„ certò fracto cervice interibit. Tu
„ autem poſt tot animæ tuæ naufra-
„ gia omni metu liber non times,
„ in ſcelerum charybdes te procaciter

„jactas, ipſis cum procellis inſipien-„ter ludis, & veſanè rides jam jam in „ſulphureis inferni vorticibus ſubmer-„gendus.

negationem

6. Omiſſis particulis *veluti &c.* per negationem tacitam combina ſimile e. g.

„Atque ea inſania excæcatis pecca-„toribus ut communis, ita ferme per-„ennis eſt. Da ut in ſceleribus ſe-„mel occaleſcant, & facilius baſiliſ-„cum ſine veneno, horridam cloa-„cam ſine fætore, mortem ſine cada-„vere inveneris, quàm in peccandi „conſuetudine obduratum ſine exe-„crabili cæcitate.

Atque hæ ſimilitudines habent hunc ſenſum: velut non datur baſiliſcus ſine veneno; ita conſuetudinarius non datur ſine cæcitate.

7. Pone tantùm unam partem ſimilitudinis, & alteram auditori relinque conſiderandam, atque id fit ſingulari cum decore, ſi eæ partes conglobentur. e. g.

„Sed naufragia non habent tot hor-„rores, tot fluctus, tot charybdes, queis „peccatoris ſortẽ exhibeamus. Ipſemet „non tã naufragus, quàm ipſũ naufra-„giũ mihi videtur. Quaſi ſcyllam quan-„dam

„dam, velut voraginem, aut ſcopu-
„lum exitialem quendam mihi videre
„videor, quoties flagitioſi hominis a-
„nimum intueor. Majora vident
„acuti illi SS. Patrum oculi. Si con-
„ſiderant vaſtas ſylvas, fætidas cloa-
„cas, horrida cubilia; peccator ipſis
„ob oculos ponitur ceu rabidus ur-
„ſus non hominem, ſed ipſum
„Chriſtum Deum discerpturus;
„velut porcus non corpore, ſed mente
„in cœnô merſus; quaſi venenatus dra-
„co non terris ſolùm, ſed ipſis cœlis
„terrificus.

8. Ut ex hoc Loco facilè argumenta eruas, attende regulas, quæ dantur de metaphoris, vide quoque, quibusnam in rebus inſignes libri ſuas ſimilitudines inveſtigent. Ad id proderit ille Subalternus *Comparatur*, ex quo facilè addiſces cuinam rei quamlibet ſubjectam materiam compares. Nec opus eſt, ſollicitè inveſtigare, an id quod notas, ſimilitudo ſit, an comparatio, de qua infra §. 5. n.244. Nam licet hæc, & iſta conſtituat novum Locum, nil tamen admodum confert iſtá ab illa diſcriminare, cum in orationem nullum vitium invehant, etſi 202. *faciliter*

una pro altera urſurpetur. Differentia autem tota conſiſtit in eo, quod Comparatio verſetur circa quantitatem, Similitudo in qualitate. Cùm namque ex illa argumentaris, rem maiorem, minorem, aut æqualem eſſe dicis. Si autem ex iſta, dicis in quali affectione, habitu, proprietate &c. res cum re conveniat absque ulla maioris, minoris, aut æqualis proportionis mentione. Hinc in comparatione inſtituitur duorum collatio cum reſpectu alicujus tertij, in Similitudine autem ſine reſpectu tertij, ſed qualitas, quæ alicui rei ineſſe invenitur, tranſfertur in materiem ſubiectam. e. g. Quotquot ab omni hominum memoria inveneris in ſceleribus occalluiſſe, ſemper exitio proximi fuerunt: quo igitur clypeo noſtræ ætatis in malo offirmati helluones æterni exitii periculum propulſabunt: En ſenſus eſt: periculum damnationis æque magnum eſt modò; quàm olim. Econtra ſi dicas: velut morbus corpori: ita noxa menti vigorem auffert; ſimilitudo eſt; quia hîc dicitur duobus diſparibus in aliqua qualitate ſcilicet in ener-

enervatione convenientia quædam inesse,

II. Velut in Similitudine convenientia: ita in Dissimilitudine disconvenientia præbet copiam eruendi argumenta, cùm scilicet è re dissimili ad aliquam dissimilem aliquid dissimile educimus, e. g. draco, & peccator sunt duæ res dispares. Si itaque à dracone ad peccatorem traducis aliquid dissimile scilicet draconem ab homine non tolerari, peccatorem autem à Deo tolerari, prodit talis dissimilitudo. 203: Dissimilitudinè.

„Et tamen clementissimus Deus „hæc terrifica monstra integris lustris „patientissimè tolerat. Occupet virulentus draco quampiam provin„ciam: illico expediuntur arma, ut „communis reipublicæ hostis è me„dio tollatur. Deus hæc illa mon„stra quasi dissimulat, parcit, sustinet; „cùm tamen vel unico nutu opus fo„ret, ut prodirent è sylvis feræ ad „discerpendum, ut dehisceret terra ad „absorbendum, ut caderent è cœlo in„cendia ad devorandum.

Ex his vides dissimilitudinem nil aliud esse, quàm duorum, aut plurium inter se diversorum dissimilis affectio.

fectio. Si ergo vis ex hoc Loco argumentari, quære differentiam in ea re, quam cupis probare alteri dissimilem, & utramque combina, uti vides in dato exemplo.

204. *differentis à Similitudine*

2. Differt autem à Similitudine Dissimilitudo, quòd hæc semper per negationes afferatur, illa per affirmationes. Dissimilitudo cognoscitur â notis istis: *aliter se habet, dispar ratio, differunt, propriæ sunt, econtra, diverso prorsus modo &c.* Similitudo ab istis *veluti*, ac omnibus n. 2. de Similitudine allatis. Velut autem in Similitudine *uti*, & similes particulæ cum ornatu omittuntur; ita etiam *econtra* &c. in Dissimilitudine. Ac proin omisso *econtra* dicis: Corpus ornatur bysso & purpurâ; anima infernali lethalis noxæ uligine fædatur.

affecte semper particulâ negativâ

3. Ex his colligis unam partem Dissimilitudinis esse negativam particula *non* vel re, vel sensu apposita. v. g. Peccator vigilat, ut abdomini serviat; non vigilat, ut serviat Numini. Et: bruti est vivere corpori; hominis est vivere menti. Hæc ratio locum habet insignem, cùm volumus alium e.g. studiosum sui muneris admonere, ac ea e.g. à Paulò fieri probamus, quæ à studioso sunt prorsus aliena.

4. Ma-

4. Magnum decorem Dissimiltudo habet, si miscetur Similitudini, quod fit, si affers res duas inter se collatas in aliqua convenientiâ similes, in alia autem discerpantiâ dissidentes. Ut si velis peccatoris ingratitudinem exaggerare, affer ea, in quibus cum justo conveniat, & subde ea, in quibus ab illo discrepet.

jungendo Similitudinem Dissimilitudini

„Et hâc Dei patientiâ abutitur ad „suam peccator pervicaciam. Ut ju-„stus conservatur in vita; sed vitam „contemerat vetitis voluptatibus. Ut „justus pascitur cibis, illustratur sole, „refrigeratur aëre; sed hæc beneficia „velut omnibus communia prorsus „non æstimat, sæpe in materiem pec-„candi trahit. Ut justus cernitur non-„nunquam adire rem divinam, aures „dare divini verbi præconibus: sed his „omnibus studiis merita non auget, „frequenter autem demerita. O mi-„seram sortem! unde justus crescit me-„ritis, peccator decrescit! Huic ipsa „bona non sunt, aut bene non usur-„pat. Ille æterna inquirit, hic neg-„ligit; ille terrena ut lutea vasa usurpat, „hic ut aurum amplexatur. Hic totus „est in excolendo virtutibus animo, hic

„vir-

„virtutis culturam aut prorſus non „habet, aut omnibus poſthabet.

205. *inveſtigando diſſimilium affectiones.*

5. Ex Philoſophia diſſimilium diſſimilis eſt ratio. Si itaque duo diſſimilia habes, inveſtigabis utriusque diſſimiles affectiones, atque hac ratione parabis amplificationi ingentem campum. Uti ſi primò afferas affectiones juſti, dein per varias figuras ſubjungas affectiones peccatoris ab illis quacunque oppoſitione diſſidentes.

» Da mihi Chriſtianæ probitatis »ſtudioſum. Hujus anima Deo delitium eſt, cor ſedes, ſenſus, corpus omne virtutis variæ inſtrumentum. Amat, & amatur à Matre pulchræ dilectionis; ac omni alio ſibi amore »interdicit, qui non proficiſcatur à virtute, aut ducat ad virtutem. Angelis charus, Cœlitibus gratus, hominibus exemplum, Superis amœnum „ſpectaculum. Sed quid? Si peccatorem tibi ſuis coloribus depingere „poſſem? Execratio Numinis eſt. In „corde ſedet dæmon, in ſenſibus libido, in corpore peccatum. Nullius amorem, omnium Cœlitum meretur odium. Inter homines probrum eſt, Angelis nauſea, dæmoni „domicilium, in vita æternæ mortis imago

„imago, in morte deſperatio, in judi-
„cio reus, & buſtum in inferno.

206. *Oppoſitorum*

III. Ex ipſo naturæ lumine habemus, res quasvis contrariis plurimùm illuſtrari. Hinc Locus Oppoſitorum varia, & fortia præbet oratori argumenta, argumentis amplificationem, & amplificationi decorem.

Velut autem oppoſitorum; ita etiam hujus Loci ratio eſt quadruplex. Aliqua ita opponuntur, ut ſe in eodem ſubjecto e. g. intellectu, voluntate, pariete &c. non poſſint ſimul compati, atque hæc dicuntur contraria, uti prudentia, & imprudentia, amor, & odium, nigrum, & album. Quia repugnat intellectui Petri, ut ſit circa eandem rem ſimul prudens, & imprudens; ita repugnat eidem voluntati, ut ſimul oderit, amet eandem rem; ac tandem idem paries ſit albus, & niger. Et hæc contraria ſunt duplicis generis. Alia ſunt, quæ carent omni medio, uti Petrus valet, vel ægrotat. Alia ſunt quæ medium habent, uti album, & nigrum. Nam ſi dico hic paries noneſt albus, haud ſequitur, ergo eſt niger, poteſt enim eſſe cæruleus. Ex primi igitur generis contrariis, ut educamus probum

bum argumentum ſciendum horum contrariorum contrarias eſſe conſequentias h. e. quod uni contrario tribuimus alteri auferimus. e. g. virtus & vitium ſunt ejusmodi contraria. Si ergo dixiſti tanquam ex communi hominum ſenſu certiſſimum haberi, virtutem eſſe animo implantandam; ex hoc Loco elicis argumentum, ſi inferas, ergo vitium eſt eradicandum. Eandem regulam ſequuntur privantia, de queis n. 5. uti vivit: ergo non eſt mortuus: vel econtra. In Secundi autem generis contrariis hæc tenenda lex eſt. Unum adeſt, ergo alterum, & tertium abeſt. e. g. paries eſt albus; ergo non eſt niger, cæruleus, &c.

207. *differentium, à Repugnantibus*

2. Ex his diſcriminabis contraria à Repugnantibus, de quibus §. ſeq. n. 212. Nam contraria in certo genere, & ut Philoſophi loquuntur, in ſua lineâ ita diſtant, ut nil magis poſſit diſtare uti in linea intellectûs ſapientia, & ſtultitia; in linea voluntatis vitium, & virtus, in lineâ paſſionis amor, & odium; in linea colorum album, & nigrum; in linea quantitatis magnum, & parvum; in lineâ qualitatis dulce, & amarum. Repugnan-

nantia econtra etſi radicem ſuæ oppoſitionis habeant à contrariis, non tamen immediatè ipſam rem rei, aut naturam naturæ, ſed affectiones &c. naturæ opponunt affectionibus alterius naturæ, e. g. Si probes Deum non amari à peccatore, quia ipſum odit: argumentum eſt à contrariis. Si autem efferas ſic argumentum. Peccator non amat Deum: quia negligit juſſa Dei, quia agit contra ejus expreſſam voluntatem, ac demum cætera odij effecta, proprietates, affectiones, adjuncta afferas, argumentum eſt á Repugnantibus. Contraria namque *contrariorum, per* ſunt, quæ in eadem linea uni tantùm maximè opponuntur, e. g. in genere paſſionis, amor uni odio maximè opponitur. Repugnantia verò multis ſimul opponuntur ſine certa lege, & numero. Sic odio opponuntur omnia ſigna amoris, affectiones &c. qualia ſunt laudare, inviſere, benefacere, ſuaviter alloqui, mittere munera, magna perferre, & ardua &c. In quibus vides ſervari nullam certam affectionum &c. legem, aut numerũ. Hæc omnia difficilia intellectu ſunt ante auditam Philoſophiam, pateſcent tamen exemplis. Sic ergo argumentum

ex

ex hoc Loco elicis. En bellum, & pax duo ſunt contraria. Si pacem a mas, bellum fugias. Si virtutem co lis, cur vitium non eradicas? Chriſtus ſuperbiam deteſtatur; quis igitu neget ab eo diligi humilitatem? Hîc ritè perpende, quantam vim habea hic Locus, ſi probes dictis, factis primum contrarium h. e. Chriſtus deteſtatur ſuperbiam. Oppoſita autem ſunt quadruplicia, Contraria, de quibus hactenus, Privantia, Relata, & Negantia. Jam de ſingulis.

208. *affirmationem* 3. Modus argumentandi à contrariis eſt duplex per affirmationem, & negationem. En primi exemplum.

„Ecquid tandem miſero peccatori „patrocinabitur, an Miſericordia Dei: „irritavit Juſtitiam. An redimet præ„teritæ ætatis libidinem vitæ rigori„bus? at cutis ſuæ, & illecebrarum „eſt ſtudioſiſſimus. An afferet juven„tutis innocentiam? perdidit in ipſo „prope rationis limine per malitiam. „Ejus ſuperbiæ nihil patrocinij con„feret humilitas, nihil libidini pudor, „nihil gulæ temperantia, nihil perfi„diæ fides. Omnia namque opera, „quæ vivebant per gratiam, nunc „mortua jacent per lethalem noxam.

Q

„O miseram vitam peccatoris omni „morte deteriorem! Si revisimus il„la tempora, quibus adhuc fulgebat „divina gratia, erat filius Dei, nunc „mancipium diaboli; nuper erat hæ„res regni cœlestis, nunc proscriptus „regno cœlesti: Nuper amicus, nunc „hostis Dei.

4. Pone contrariũ illi qualitati, quã vis probare, & illico subde eam, quam intendis. Ut si laudes aliquem à parsimonia temporis, & dicas Petrus e. g. nullam vel minimi temporis portionem otiosè transigit; sed singulas quasque horas egregiæ cujusdam vel virtutis, vel artis exercitiô circumscribit. En exemplum è Thesi nostra. *negationem*

„Et tamen clementissimus Deus „non vindicat in improbum, sed mi„sericorditer parcit; non rapit ad mor„tem, sed prorogat vitam; non irro„gat pœnam, sed exspectat pœniten„tiam.

Hi duo modi admodum exornant Exordium e. g. si probes, quàm severè Deus potuisset animadvertere in peccatores statim post primum peccatum; dein autem per particulas *verùm, tamen, etsi, quamquàm, licet &c.*

deſcribas, quàm miſericorditer pepercerit. Econtra ſi dicturus de charitate inimicorũ afferas primò quid inimicus agat contra legẽ &c. & dein ſubjungas illa, quæ agit ex ſpiritu vindictæ. v. g. Nõ audit Chriſtum in cruce pro inimicis orantem &c. Sed nefariè animum odiô, manum gladiô armat. Atque ſic, cum materia ſubjecta per affirmationem, & negationem confertur, facilè ſternitur via ad probandum, quàm neceſſaria ſit charitas inimicorum. Idem ſenti de omnibus vitiis, & virtutibus.

Huc ſpectat pulcherrima illa ratio tollendi falſã quandã opinionẽ hominibus inſitam. Valet tam in genere moris, quàm artis, e. g. velis probare mundanum hominem non eſſe tam felicẽ, Judicẽ non eſſe tam juſtum, voluptatẽ non eſſe tam jucundã, virtutẽ non eſſe tam tetricam, ædificiũ quoddam non eſſe tam artificioſum, artem quandam non eſſe tam præſtantem, arcẽ quandam non eſſe tam munitã, quàm quorundã opinione feratur; ſi unum requiſitum poſt alterum tacitè auferas ponendo ejus oppoſitum, v. g. ad bonum Judicem requiritur Legũ amor &c. dic ergo: nullus ipſi Legum amor &c. Promovetur egregiè hæc ratio argumen-

tandi

tandi à Vago *Signum*, cùm cuique signo tacitè prætermisso ponimus oppositū. Invenis e.g. in *C. Signū* notas boni Christiani esse Dei, proximique amorē, studiū religionis; dicamus de Juliano e.g. Nullus est Juliano Dei, proximique amor, nullum religionis studium &c.

5. Quod attinet Privantia, quæ constituunt secundum oppositorū genus, ea nil aliud sunt, quàm habitus, aut forma, ac hujus, vel illius privatio. Unde si velis scire, an detur inter duo posita contrarium, aut privatio, vide, an utrumque verbū significet aliquid positivum, vel unum tantùm. Si primū, contraria sunt; si secundum privantia. e.g. Superbia, & humilitas sunt contraria, quia tam illa, quàm ista sunt aliqua forma, habitus, & qualitas positiva. Tenebræ autem, & lux sunt privantia. Nam etsi lux sit qualitas aërē illustrans, tenebræ tamen non sunt qualitas, sed absentia lucis. Similia sunt mors, & vita, scientia, & inscitia, notitia & ignorantia, & comuniter illæ voculæ queis additur præpositio *in*. Dixi comuniter, nam eadē præpositio efficit etiam sæpe contraria uti est gratitudo, & ingratitudo. Ex Privantibus talia eruuntur argumenta. Visus est magnum hominis bonū; ergo cæcitas

Privantium

est magnum malum. Quantum quisque æstimat auditum; tantum timet surditatem. Luxuriosus adeo amat vitam; quis ergo dubitet mortem ipsi summè exosam? Miser tamen non cavet ea, quibus animæ, & corporis interitus acceleratur. In his tamen argumentis notandum, ne unum membrum aliter tribuatur materiæ subjectæ, quàm convenit alterum. Unde non valet. Copia sæpe parit superbiam, ergo inopia semper humilitatem. Sed dicendum erit: copia sæpe parit superbiam: ergo inopia sæpe humilitatem. En exemplum.

„Deus ob oculos ponit peccantium „supplicia, clamat voce divini præco„nis vicinum exitium jam jam imine„re. Peccator tamen velut cæcus non „videt, velut surdaster non audit; quid „quòd in sua cæcitate, ac surditate „gloriatur.

210. *Relatorum, in*

6. Tertium genus oppositorum dicuntur Relata, súntque ea, quorum totum esse consistit in comparatione ad aliud, ita ut sine altero, ad quod referuntur, non possim intelligi. Talia sunt pater, & filius; miles, & dux; discipulus, & magister; cliens, & patro-

tronus; dominus, & ſervus; duplum, & ſimplum, dare, & accipere; emere, & vendere; diſcere, & docere; efficere & effici; quærere, & invenire. Ex his ducuntur ſimilia argumenta. Pater præſtitit magna: ergo filiis ignominioſiſſima eſt ſocordia. Dux perrumpit quæque pericula, & miles non ſequatur? diſcipulus affert ampliſſimi ingenij dotes, & diligentiam prorſus ſingularem: ergo magiſter docendi provinciam haud gravatè adibit. Idem judicium eſt de verbis, quod de ſubſtantivis.

„Atque ſic auribus, oculis, & men-„te captus inhiat peccator voluptati-„bus. Fruſtra reclamante Deo, con-„ſcientiâ, lege, quærit vetitas decipi-„entium ſenſuum illecebras. Si tam „fæda in peccatoris mente concur-„runt conſilia, cùm quærit voluptates, „quid improbitatis affuturum exiſti-„mes ſi deſideratis potitur? quæſita in-„venit? ac demum in fædè concupi-„ta ſine fræno effunditur? Tum enim „verò accumulantur noxæ, contra-„huntur peſſimæ conſuetudines, ac „non raro omnis ſalutis ſpes penitus ablegatur.

metaphoris 7. Relata admirandam vim sortiuntur in metaphoris, uti si voces Christum, S. Benedictum &c. Patrem, Ducem, Magistrum; illis autem, ad quos dicis, filios, milites, discipulos &c. Revise, quæ §. 1. n. 15. de definitione diximus; & facilè gravissima argumenta in quamvis thesin elicies; e. g. quàm necessaria sit Christi, aut S. Benedicti imitatio, obedientia, studium S. Regulæ &c. Si enim Magistrum dixeris S. Benedictum, discute causam materialem, & affer, quàm magni momenti sint ad quâlibet virtutem, & contra quodvis vitium illa omnia, quæ docet. Adi Adjuncta quàm multos, & magnos docuerit; Reges, principes, Cardinales, Pontifices. Examinato Effecta, & invenies quàm multi, & varii in omni eruditionis genere prodierint libri ex hoc magisterio. Paris amplitudinis materiam nonnulli alii Loci præbebunt, etsi à Relatis nunquam discesseris. En exemplum in Thesi nostra, si Christum Dominũ, & peccatorẽ servũ vocamus.

„Hi tamen improbi se Christi ser„vos jactant, nomine se famulos, mori„bus se Christi hostes probant. Nun„quam Domini, sed suas, suæque im„pro-

„probitatis improbas leges ſequun-„tur. Quid igitur mirum, ſi tan-„demè ſervorum Dei familiâ ejician-„tur? non jam ut fideles famuli præ-„miis, ſed ut ſceleſta mancipia rebel-„lionis, proditionis, aliorumque „criminum accuſata, convicta, & dam-„nata æternis ſuppliciis afficiantur?

8. Quartam tandem Speciem Op- 211. *Contradicentium*
poſitorum conſtituunt contradicentia, quæ etiam Negantia dicuntur. Sunt autem nihil aliud, quàm eorum, quæ poſita ſunt, deſtructio, uti ſunt, Peccator fugit miſeriam, & tamen ſequitur; vult virtutis nomine laudari, & à vitiorum infamiâ ſibi non cavet; ad exitium currit, & in ſcelerum volutabro jacet. Huc ſpectat illa pugna verborum. Mundus peccatorem felicem dicit; infelicem Chriſtus. Item illud S. Odonis noſtri. Chriſtus fugit, quod omnes appetunt; & appetiit, quod omnes fugiunt. Similia ſunt. Dicant alii peccatorem opulentum; dicam ego pauperrimum. &c. Hic Locus etſi in ſe non habeat magnã vim, præbet tamen dictioni decorem, & aliis Locis aperit viam. Uti ſi dicas miſeriã peccatoris, qua convertitur ad pœnitentiam, felicem, aut victoriã

 du-

ducis ſuperbi miſeram cladem. Utrinque enim ex Loco Effectorum multa poteris ad aſſerti probationem adjungere, uti ſi afferas, quanta bona ex illius miſeria, aut quanta mala ex hujus ſuperbia emerſerint.

triplicitèr 9. Tandem pro clauſula totius hujus Loci ab oppoſitis notandum, quamlibet ejus ſpeciem triplici modô poſſe amplificari. Primô ſi verbum verbo; ſecundô, ſi membrum membro; & tertiô, ſi periodus periodo opponitur. Singulorum exempla vide in figura Antitheſeos infra c. 6. §. 5. n. 331. qua hic Locus mirificè ornatur.

§. IV.

Quomodo ex Lapidicina Repugnantium, Adjunctorum, Antecedentium, & conſequentium eruas materiem argumentorum?

212. *Repugnantium ex* 1. SUppoſitis iis, quæ §. antecedenti n. 2. de oppoſitis diximus, ſciendum, Repugnantia eſſe peregregiam prolem oppoſitorum. Amo, & odio habeo ſunt contraria. Si jungis odij effectus amori, naſcuntur Repugnantia.

Tu amas proximum tuum. Non igitur oneras eum convitiis, non coquis mala conſilia, non ſtruis ipſi inſidi-

ſidias. Quoties ergo vis rem quampiam evincere, quæ, ſi ſecundum ſua prædicata ponatur, poſſet in dubium vocari, diſcute Repugnantia, eaque affer, quæ in rem tuam ſunt. v. g. peccator non vult credere, quòd oderit Deum. Tu ergo dic, quòd Deum non amet, cumque probaveris ab eo omnia ea patrari, quæ amori repugnant, probaſti ab eo Deum odio haberi. Facio exemplô dictis fidem. *oppoſitis.*

„Nec eſt quidquam, quod palliandis proditionis, ac impiiſſimi in „Deum odii ſceleribus poſſint adducere. Nullam legibus divinis obedientiam, nullam minis reverentiam, nullam promiſſis fiduciam præbent. Fædus ineunt cum hoſtibus „Dei. Mundi amicitam, quam Deus damnat, ambiunt; carnis voluptates, quas Deus ſeverviſſimis legibus „prohibet, ſequuntur; virtutis, quam „Deus tot præceptis inculcat, nullam habent rationem. Quæ ſingula, ſi ritè trutinaveris, an non eos „nefandi, ſacrilegique in optimum „Numen odij, & ſceleſtiſſimæ in divinas leges rebellionis reos dices?

213. *antecedentibus, & consequentibus, in*

2. Præterea uti ab Oppositis; ita ab antecedentibus,&Consequentibus magnum subsidium recipiunt Repugnantia. Ut ergo hæc ex illis elicias, junge particulam *non* v. g, piger nunquam cognovit pretium temporis: ergo caret parsimoniâ temporis, sunt antecedentia. Si jam vis, ut hæc eadem propositio transeat in Repugnantia, dicis: piger nunquam cognovit pretium temporis: ergo non caret parsimoniâ temporis; & habes Repugnantia. Repugnat enim, ut homo amet, quod non cognoscit. Et vis argumenti est: repugnat ut is non careat parsimoniâ temporis, quem ejus valor latet. Cumque hoc modo antecedentibus, aut consequentibus addideris conglobata membra Repugnantium per figuram Interrogationis aut Communicationis,aquiris gravem amplificandi, & exaggerandi materiem.

„Eò tamen evadit peccatoris impudentia, ut sibi probitatis nomine „venetur famam. Pro virtute nullum „dignatur subire laborem; ambit tamen virtutis præmia. Ad gloriæ fastigia se evasisse somniat; cùm semper

„per humi jacens bruti inſtar inter vo-„luptates computreſcat. Fulgere cu-„pit, & non fugit tenebras; innocen-„tiam vitæ jactitat, & fædis obligatum „facinoribus animum circumfert. Re-„bellionis jam convictus eſt, & de „conſervatæ pacis titulo gloriatur.

3. Plurimùm valet hic Locus in Exordiis, & revellendis Adverſariorum argumentis, idque fit per particulas ***At, attamen, atqui, verùm enim verò ſi rem penitiùs inſpicimus***; aut per ironiam interrogatione miſtam, e. g. ſi audiſti peccatorum felicitatem ab adverſa parte extolli, ſubde. O felices homines, qui à felicitatis auctore infeliciter recedunt! Dein ſubjice ea, quæ felicitati prorſus repugnantia, à peccatore tamen patrantur, qualia ſunt vermi conſcientiæ animam rodendam dare, æterno exitio appropinquare &c, — *214. Exordiis, ad objectiones refellendas.*

4. Ex his colliges Contraria, Diſſimilia, & Repugnantia, etſi valde cognata ſint, admodum inter ſe differre. Nam contraria ſolùm in duobus conſiſtunt, & unum cum altero pugnat, ut gaudium, & mœror. Diſſimilia non pugnant, nec ſe ſubjecto excludunt, ſed tantùm ſunt diverſa; ac alia, & alia, ut aſtrum, — *differentium à contrariis & diſſimilibus*

astrum, & homo. Repugnantia ponunt unum contrarium, & alterius aut aliquem effectum, proprietatem &c. uti amare, & convitiari. Convitium enim est effectus odii, quod amori opponitur.

211. *Adjunctorum.* II. Venimus jam duce Deo ad fæcundissimam Adjunctorum Lapidicinam, ac ex ea producimus argumentum, cùm illas efferimus circumstantias, quæ licet rem, de qua nobis sermo, non efficiant, aut necessariò sequantur, sunt tamen talia, quæ prudenti hominum judicio cum re subjecta censentur conjuncta, uti sunt circumstantiæ temporis, loci, personæ, modi &c.

Personarum. 2. Adjuncta alia sunt personarum, alia rerum. Illorum Cicero numerat duodecim scilicet, nomen, naturam, victum, vestitum, fortunam, vitam, affectionem, studia, consilia, facta, casus, & orationes, His addes sexum, ætatem, nationem, cognationem, patriam, famam, educationem, magistros, & famulos, socios, amicos. *Rerum.* Rerum autem Adjuncta recenset sex Locum, tempus, occasionem, modum, facultatem, & instrumentum. De singulis postea.

3. Præ-

3. Præterea Adjuncta dividuntur in Antecedentia, concomitantia, & conſequentia. *Antecedentium* Illa ſunt, quæ negotium quoddam ſolent præcedere velut cauſæ, agitata conſilia, minæ, promiſſa, & omnia, quæ ad aliquod negotium conficiendum ſolent præmitti. Iſta ſunt, quæ negotium comitantur, *Comitantium.* e. g. committitur cædes: comitans adjunctum eſt tempus, modus, inſtrumentum, quo, & locus, in quo commiſſa eſt cædes. Hæc dicimus illa, *conſequentium.* quæ conſueſcunt negotium confectum ſubſequi, uti gaudium ex re bene geſta, dolor ex malè geſta, infamia ex ſcelere, gloria ex virtute. 216.

4. Verùm hæc omnia longè meliùs tam memoriæ, quàm intellectui exhibentur noto illo verſu. *Quis quoad*

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis,
cur, quomodo, quando.

In particula igitur *Quis* inveſtiga adjuncta perſonarum, quæ ſunt triplicis generis: fortunæ, naturæ, & animæ. *fortunam* Ad illam ſpectant officia, divitiæ, dignitates, uti an is, qui negotium patrat, ſit dives, pauper; ſervus, an liber; privatus, an nobilis. Ex hoc loco exaggeras peccatum, ſi dicis.

„Et

„Et hoc tantum nefas committitur „ab eo, quem Deus ad dignitatem „prope angelicam evexit, quem do„tavit donis cælestibus, quem in sinu „suo fovit ceu filium dilectissimum. „Ille mortuus erat, hic suscitavit; ille „inimicus erat, hic ignovit; ille pere„grinus erat, hic civitati cœlestis Hie„rosolymæ ascripsit.

naturam Adjuncta naturæ sunt ea, quæ hominibus censentur ab ipso ortu congenita: ex hoc loco dicimus alias personas formosas, alias deformes; alias ingeniosas, alias hebetes; alias bonâ, alias malâ valetudine affectas. Paucis quidquid ex naturali hominum inclinatione possumus, veri, aut convenientiæ eruere, sumimus ex adjunctis naturæ; seu illa inclinatio sit à sorte, sic plebeij præ honore opes, & nobiles præ opibus honores quærunt; seu sit ab ætate, sic juvenes ferociâ, senes cacogiâ laborant; seu sit à natione, sic laudabis Germanos in sago, in togâ Italos; seu demum sit à sexu, sic fæminam commendabis à sedulitate, virum à fortitudine. Súntque hæ inclinationes eô fortiores ad probandum, quò intensiores esse in hac, vel illa persona probaveris.

„Hanc

„Hanc ſuam felicitatem ſi agno-
„viſſet peccator, quàm amplas cœle-
„ſtium bonorum opes parare potuiſſet.
„O ſi virtuti impendiſſet illud corpo-
„ris robur, illam ingenij aciem, illam
„ab optima educatione, majorum e-
„xemplis, magiſtrorum curis acceptã
„indolem! an non legeret in ipſius
„moribus tota vicinia vivendi leges &
„normam ſanctitatis. Sed prô dolor
„hæc omnia dilapidata ſunt.

„Robore ad audaciam, formâ ad
libidinem, ingenio ad ſuperbiam im-
probè abuſus eſt, atque ſic ad novum
malitiæ cumulum dona liberaliſſimi
Numinis effecit ſcelerũ inſtrumenta.

Adjuncta animæ dicimus ea, quæ *217. animam*
ſi animæ inſunt, eámque ornant, aut
edant, uti ſunt ſcientiæ, artes, virtu-
s, vitia. Sicque ex hominis cujus-
am irâ, ſuperbiâ &c. vituperandi; e-
ontra ex demiſſione ejus, humilitate
c. laudandi anſam ſumes, aut factum
uoddam probandi argumentum. Ex
oc Loco potes peccatori ex ſuper-
a prædicere majores lapſus,

„Grandia quidem, nec ſine horro-
e memoranda, quæ peccator in
OptimumDeum commiſit. Sed non-
lum finis malorum: longè majora
per-

„perfidus audebit. Illa de commisso „malo jactantia, illa loquendi libertas, „illa in divinis socordia quid portendere possunt, nisi graviora scelera? „Fugit probos, improbis se miscet, „pœnitentiam, velut si contemnat, „procrastinat. Sine ergo paucos di„es dilabi, & quem hactenus in mala „prolapsum vidimus, pejoribus obru„tum audiemus.

nomen Nomen dat materiem laudis, & vituperii, uti si generosum militem, qui Alexander vocatur, laudes à gestis Alexandri M. Regis. e. g. Tam facta, quàm nomen M. Alexandri ad magnitudinem tuæ laudis concurrunt. *Eusebius.* In quo differt Annotatio ab hoc Loco? *Eubulus.* Illa investigat argumentum ex significatione, quæ latet in ipso nomine uti si Pulcheriam dicas puchram ab ipso nomine. Hic autem abstrahit à significatione, & nomen uni impositum ad alterius laudem, aut vituperium traducit, uti vidisti in dato exemplo,

victum. Ex victu sumis argumentum, si ex ipso, cùm modicus, & obvius est, colligis cujusdam temperantiam; aut cùm immodicus & arte quæsitus est, elicis superbiam, gulam &c. Nota

hic

hic ampliſſimum campum laudandi Sanctos. Eadem eſt ratio de veſtitu, & velut modeſtus modeſtiæ, ita ſuperbus ſuperbiæ præbet argumenta. Inſignes ſunt hîc metaphoræ; uti ſi dicas Sanctum quemdam tectum caſſide prudentiæ, cataphractum thorace fortitudinis &c. reapſe tamen coincidit hic Locus cum adjunctis animæ. *Veſtitum*

Præbent affectiones, & ſtudia dicendi materiem, ſi diſcutis, quibusnam rebus is, quem tibi laudandum, aut vituperandum ſuſcepiſti, delectetur: ſi bonis bonum; ſi malis malum dices. Sic carnis vitiis immunem dices, & otio, qui litteris magno, & conſtanti ſtudio intendit. Eum autem ſæcularis animi hominem dices, qui novellis, & rumoribus mundanis, veſtibus, ritibus &c. afficitur. Uti enim fumus ignem, ita hæc ſtudia animum produnt. *affectiones, & ſtudia*

218. Conſilia, & facta hominum conferunt ad dicendum, ſi diſquiris ſeriam rei conficiendæ, vel omittendæ rationem; quid actum ſit temerè, quid conſultò, quid maturè, quid prudenter, quid imprudenter. Decorem hic Locus affert, ſi cujusdam facti taliter, & taliter geſti modum *conſilia, facta.*

 inter-

interpretamur hac, vel ſimili loquendi formulâ. Volebat ſemper vir piiſſimus palam oſtendere, quanta virtutis pulchritudo. Plus in rem conferunt facta, cùm ad extollendum quoddam ſingulare alicujus facinus producimus alia ejus facinora jam præterita, aut præſentia, quin etiam futurorum ſpem, ſi bona ſunt; aut metum, ſi mala. Exaggerantur facta, ſi jungitur facientis ætas, ſexus &c. Negotii præteriti magnitudo conciliat ſpem minoris cujusdam fortiter conficiendi, e. g. inter media diſcrimina Petrus hoſtium victor, ſui, & metûs domitor fuit: quis ergo de viri fortitudine diffidat, cùm de modico agitur diſcrimine? & hoſti non tam præſentia, quàm arma objiciunda ſunt.

caſus, ſeu ſigna.

Cùm credamus, nil fieri ſine magno Dei numine, nos ſigna dicimus, quod Cicero caſum nominavit; ac tum nobis argumentum præbent, cùm præterita portenta, indicia, aut monimenta derivamus ad præſentem, quam tractamus, laudem, aut probrum. Sic S. Benedicti cum S. Scholaſtica in utero materno cantillantis prodigium portendebat ab utroque millena templo-

plorum odea cœlesti cantu animatum iri. Huc plurima suggeret Vagus *Signum*.

orationem. Ut facta, ita dicta hominis aperiunt divitem venam ad hauriendam tam laudis, quam vituperii copiam. Multa verba levem, seria serium animum denotant, ac ex affectato vocis sono, superbiam mentis colligere licet. Frequens est Milo in extollendis conviviis: Ergo gulæ vitio laborat.

sexum. Sexus autem dat argumentandi occasionem, si dixeris facinus patratum dignum viro ab aliqua virgine, aut aliquam Monialem scriptitandis libris eruditissimam operam dedisse. Econtra ad vituperium pertinet, si dicas virum semper domi consedisse, & magis fuso, quàm gladio natum. Ex hoc Loco insigniter laudaveris S. Liobam, Hildegardem &c. quæ sibi virili animo virorum opera sumpserunt.

ætatem. Sexu non minus fæcunda est ætas. Ut si dicas hæc tanta fuisse patrata à puero, à juvene, e. g. nondum ferme per ætatem ire poterat Hildegardis, & jam ad fastigium sanctitatis evolavit. Dic virtutem cum ætate crevisse, quin hanc ab illa superatam. Si corpus aspicis, puerum;

ſi animum, virum vides viris omnibus grande exemplum. Ad vituperium valet, ſi probes à ſene fieri, quod nemo ſuſtineret in puero, dicaſque canos ſenectutis proſtitui ludis puerilibus.

219. *nationem.* Si natio, cognatio, patria conjungantur in genere Demonſtrativo magnam vim habent; uti ſi laudes S. P. N. Benedictum à natione dicendo eum natum in illuſtri Italiæ parte Umbria, ac excurras in laudem Italiæ, & Umbriæ. *cognationem* A cognatione amplior erit materia, cùm extolles illuſtriſſimos parentes Eutropium Probum Riguardatum patrem, & Abundantiam matrem, ac inde digrediéris ad pulcherrima illuſtriſſimæ familiæ in ſago, & toga parta decora. *Patriam* A patria laudas S. P. N. ſi Nurſiam ſolum natale prædices, afferáſque, quàm multos ea urbs in Divorum faſtis Sanctos, in militum albo heroës, in eruditorum claſſibus Doctores recenſeat. Huc pertinent mores gentium, vitia, & virtutes nationum. *famam* Non rarò pari fæcunditate gaudet fama, velut ſi probes, quàm benè, vel malè is, vel iſte à pueritia inter æquales audierit, & vicinos; ſi afferas quàm latè ſe hæc fama ex-

exporrexerit, quamque varia animorum motu accepta ſit non ſolùm in civium officinis, ſed etiam in aulis principum &c.

Inveniet multa ad dicendum aptiſſima orator, ſi inveſtigârit, quanta curâ is, quem laudat, ſit educatus, ac quàm probis, doctis magiſtris uſus ſit ab unquiculis uſque ad eam ætatem, quam non jam diſcipuli, ſed magiſtri excellentiſſimis encomiis illuſtravit. *educationem, & magiſtros*

Demum in utramque laudis nempe, & vituperii partem plurimùm valet, ſi afferimus, qualibus quis famulis, ſociis, aut amicis utatur. Atque ſic, ſi illi probitate, virtute, & famâ excellant, magnam probitatis, virtutis, & famæ laudem in eum, cui panegyrin ſtruis, derivabis. Econtra autem ſi dicas ſocios, amicóſque omnes conſarcinatos eſſe ſceleribus, conſtare ex fece hominum, queis nulla virtutis, una voluptatis habeatur ratio, mirum conflabit odium, ac talem fugiendum &c. eſſe facilè probabis. Atque hæc de perſonis (his autem noſcitandis ſerviet vagus *Signum* de quo p. 2.c. 4. n. 96.) jam de rebus. *famulos ſocios amicos*

 5. Ita-

227. *Quid*

5. Itaque per particulam *Quid* non intenditur, quid ſit ipſum opus, ſeu quantæ, & quales ſint ejus circumſtantiæ, e. g. an facinus, quod tractas, ſit heroicum, an probroſum? an arduum, vel leve? an formidabile, vel jucundum? an ſingulare, vel commune. Adverte quantum dicendi campum hic tibi Locus aperiat ad exaggerandum opus humanæ Redemptionis. En exemplum ex particula *Quis*, & *Quid*

„Et ecce tibi jam pergit ad deſignandum facinus probis omnibus „formidabile. Pergit, ut Chriſtum „denuo columnæ alligatum crudeliter „diſcerpat; pergit, ut diviniſſimum „caput paliuris immaniter diſcruciet; „pergit denique ut Servatorem ſuum „tam benignum, tam multa paſſum, „tam grandia promittentem, tam „horrida minitantem in Crucis patibulum atrociter ſuffigat. Et hoc „tantum facinus audet ille, cui toties „eadem auſo pepercit divina Nemeſis, „quem tot beneficiis extulit Dei munificentiſſima liberalitas, à quo Ter Opt „Deus nullam aut pro donis gratitudi„nem, aut pro miſericordia emenda„tionem, aut pro morte ipſa crudeliſ„ſima

„ſima melioris vitæ conſtantiam tot „menſibus, tot monitis, inter tot me„dia ſalutis unquam potuit impetrare. „O facinus & ſui immanitate, & pa„trantis impudentiâ omnium facino„rum nefaſtiſſimum!

6. Particula *Ubi* autem ſignat locum, in quo aliquod negotium conficitur. Isque alius eſt naturæ, alius artis. 221) *Ubi quoad loca*

Naturæ ſunt montes, valles, campi, ſylvæ, maria, terra. Atque ex his exaggeras facinus, ſi dicas patratum in patente campo; aut milites ad pugnam animans dicas à tergo montes, à dextra mare, à læva paludes, à facie hoſtem conſiſtere, probesque nullum eſſe effugio locum, niſi per ſtrata hoſtium cadavera. *naturæ.*

Loca verò artis ſunt, quæ induſtriâ humanâ efficiuntur velut templa, domus, palatia, plateæ, porticus, atria, conclavia &c. *artis.*

Ex his alii loci ſunt ſacri, ut templa, monaſteria &c. alii profani, ut domus, campus. *Sacra*

Alia demum loca ſunt tali, & tali qualitate affecta, ut alia ſunt anguſta, alia ampla; alia privata, alia publica; alia humilia, alia ſuperba; alia æſtui, alia frigori expoſita. *affecta variis qualitatibus ad*

probandum & His notatis varia elicies argumenta. Imporbum dices eum, qui delinquit in loco Sacro; probum eum, qui in eo frequens devotè excubat. Argumentum patrati facinoris ex hoc Loco producis, si dicas Petrum e. g. ex angusta porticu prodiisse, sub qua inventum est cadaver occisi Pauli.

exaggerandum Crimen exaggeras, & criminosũ adducis in odium, si dicas eum deliquisse in loco sacro, in monasterio e. g. in cella religiosa. Multùm urget hæc ratio, cùm roboratur adjunctis temporis, & quantitatis ex particulis *Quid* & *Quando*, ac dicas crimen commissum longè nocentissimum, id que tum, cùm divinis alij vacabãt &c. Huc confert Vagus *Eventus*, de quo p. 2. c. 4. n. 96.

„Pertinet ad sceleris atrocitatem „hæc tanta à peccatore in Deum pa„trari toto cœlo inspectante, in loco „aut, ad pœnitentiam clementer pœ„nitenti concesso, aut ad supplicium „impœnitenti terribiliter inferendum „designato. Seu solus in conclavi, seu „palam in hominum commerico de„linquat peccator, semper delinquit „in amplissimo Divinæ Justitiæ thea„tro. Spectant hinc angeli, & con-

„tremis-

„tremiſcunt ad ſcelus; Spectant hinc „dæmones, & in ſceleratum vindi„ctam depoſcunt. Infra pedes pec„catoris ardet infernus, capiti divinæ „Nemeſis machæra horrendùm in„tentata imminet; dextram occupat „voluptas, ut miſerum præcipitet, læ„vam dæmon, ut præcipitatum in æ„ternum exitium detrudat. O hor„rendum theatrum! O inſanam in „hoc theatro triputiandium lætitiam! „hîc rident, ubi incipitur æternus eju„latus: hîc illecebras quærunt, ubi „æternus cruciatus intentatur. In „ipſo Divini Judicis tribunali com„mittunt furta, cumulant ſacrilegia, „multiplicant ſcelera. Non tamen ſi„bi à loco, à Judice, à ſcelere, à teſte „timent, ſed velut ſoli, ac omnis ſup„plicii metu exempti fuiſſent, in omne „nefas liberè prorumpunt.

7. Huc ſpectant inſtrumenta, quibus aliquod facinus patratur, ut enſis, ſclopetum &c. media, & adminicula, præcipuè ſi continent ſpecialem aliquam malitiam in malis, ut ſiquis ad deſignandum facinus utatur rebus ſacris, Sacramentis, pacto dæmonis, aut arte magica; econtra verò in bonis 222. *Quibus auxiliis quo ad inſtrumenta, & media:*

 mag-

magnam vim, uti ſunt prolixæ piorum preces, jejunia, eleemoſynæ. &c.

concauſas, & ſocietatem

Huc quoque ſpectant concauſæ, & ſocietas. Illæ ſunt invitantes, ſollicitantes, dictis, factísve allicientes ad deſignandum quoddam facinus, uti ſunt in bonis bonorum, in malis autem malorum exempla, conſilia, documenta, minæ, blanditiæ &c. Societas autem denotat multitudinē, qualitatem &c. eorum, qui ad facinus aliquod opem, conſiliúmve contulerunt. Ex hoc Loco vehementer exaggerari poteſt paſſio Chriſti. Hîc quoque notes velim ea, quæ ſupra dixi n. 6. de Oppoſitis.

„O miſeram peccantium ſortem! „Intellectum inani rerum notitiâ, voluntatem multiplici malitiâ, memoriam obſcænis voluptatum figuris „infarciunt. Quæ data ſunt in virtutis ſubſidium, ad cultum ſupremi „Numinis pro animi cultura, vertunt „in libidinem improbæ voluptatis. „Sequuntur, quod ſuadet dæmon; reprobant, quod Deus mandat. In improborum conſilia, exempláque dictis, & factis deſcendunt. Non rarò licentia peccandi eò uſque erumpit, ut Chri-

„Christi Sacra, Religionisque nostræ
„tremenda mysteria sine metu ipsis
„dæmonibus detestabili audaciâ tra-
„hantur in scelerum apparatum.

8. Per circumstantiam *Cur* deno- **223.** **Cur.**
tatur finis extrinsecus, propter quem
medium aliquod eligitur, intentiones
quoque, & consilia, quæ ad hoc vel
illud factum impulerunt. Efficax est
hic locus, si quem impulsum dicas in-
vidiâ, odio &c. aut in bonis charita-
te, Zelo, aut alia virtute. Plura vi-
de in §. seq. de causa finali n. 238.

„Ecquid tandem his tam nefastis
„peccatis quæritur? fœda voluptas, mo-
„dica portio rutilæ terræ, fumus pe-
„rituræ famæ. Sacra omnia susque deq;
„vertuntur, ut ambitioni, invidiæ, o-
„dio, & impotēti mētis furori, satis fiat. **224.** *Quomodo.*

9. Particula *Quomodo* cognata est
iis, quæ diximus hîc n. 7. ac compre-
hendit intensionem, contentionem,
ac diligentiam agendi, & omnem mo-
dum actionis e. g. describenda sit cæ-
des? quære ex hoc loco, an unques etiā
injecerit homicida? an discerpserit?
an etiam in cadaver sævierit &c.? En
rei Exemplum.

„Ostende sis peccatori jam jam ir-
„ruentis mortis catastrophē: non attē-
dit

„dit; exhibe Divini judicii ſeverita-
„tem; non curat; exaggera æterna
„inferni incendia: non timet. To-
„tis deſideriis, toto impetu ruit in ve-
„titum. Plus carnis lenocinia, quàm
„Chriſti tormenta valent: hæc nul-
„la in memoriâ, illa mente concipi-
„untur, linguâ laudantur, uſu tra-
„ctantur. Vires ingenii, corporis,
„ſenſuum intenduntur, ut improba
„ſceleſti animi conſilia conficiantur.
„Ut parentur opes, ſuperantur maria,
„itur in terræ viſcera, violantur pro-
„pinquorum, parentum, Dei ipſius ju-
„ra.

225. *Quando: ad probandum,*

10. Tandem particula *Quando* deſignat tempus, quo aliquod facinus patratur, & hoc modô ad probandum eruis argumenta. Eo ipſo tempore Petrus viſus eſt armatus, quo cædes facta eſt: ergo cædis ſuſpicionem non evadit. Aut econtra: Petrus Calend. Junii non fuit Romæ, quibus Romæ facta eſt, ergo non eſt reus cædis.

vituperandum

Ad laudem, aut vituperium ſervit hic Locus, ſi dicis. Petrus integras noctes trahit in popinis, ſacra, divinoque obſequio conſecrata tempora contemerat avaritiâ, gulâ, libidine.

Econ-

Econtrà verò Paulus ſurgit ſub adultam noctem ad preces, diem labori, noctem brevi quieti dare conſuetus nullam temporis portionem ſibi ſinit à bonis operibus vacuam elabi.

laudandum, circa

Ut utrumque in facilem praxin redigas, præſtat ſcire temporum differentias, uti momentum, horam, noctem, diem, hebdomadem, menſem, annum, luſtrum, ſæculum, tempus vernum, æſtatem, autumnum, hyemem, auroram, crepuſculum, diluculum, gallicinium, meridiem. Hæ differentiæ temporum gaudent certis affectionibus aut lege, aut naturâ, aut pœnâ inditis. Illæ ſunt dies adventanti in mundum Filio Dei ſacri, carnisprivium, Quadrageſima, quaterna jejunia, pridiana feſtorum vigilia, Paſcha, Pentecoſtes, Feſta, Dominicæ. Huc ſpectant dies certæ ceremoniæ deſtinati, uti apud Judæos feſtum Tubarum, Expiationis &c. apud paganos Florialia, Dionyſia, Robigalia, Pithœgia, cretio, & ſimilia. Affectiones naturâ inditæ ſunt, ſi dicas, tempus pluvium, aut ſerenum; longum, aut breve; frigidum, aut calidum; aptum, aut ineptum culturæ ruſticæ. Inditas demum à pœna profers

differentias temporum.

affectiones temporum à lege.

naturâ

pœnâ

fers affectiones, si dicas, esse tempus belli; famis, pestis, publicis calamitatibus expositum.

225. *modo triplici per*

Ex primis affectionibus ducis argumentum simili modo. Vorabatur velut si lupercalia gentilium agerentur. Ex secundis. Pluvio cœlo, & cùm elementa ipsa damnare visa sunt scelestum facinus, ivit &c. Eo malitiæ pervenit, ut obstantes nivium aggeres, nox ipsa suis horrenda tenebris impium iter non potuerint abrumpere. Tandem ex ultimis. Horrenda mortis imago ubique ob oculos versatur, pestifera lues horribili strage grassatur, & peccator non timet &c.

vagos Eventus, & Tempus

Ad fæcundandum hunc Locum multam vim conferent vagi *Eventus*, & *Tempus* de quibus p. 2, c. 4. Atque sic facilè disces ex iis, quæ e. g. sub Missâ, sub oratione &c. contigerunt, excurrere in laudem Missæ, orationis. Eodem modo ex vago *Tempus* magnâ energiâ 5. Januarij suadebis sobrietatem, quòd eo die Christus inceperit suum in eremo jejunium. Sed pro thesi exemplum.

„Tempus nullum tam sanctum „quod peccator suis sceleribus non „contemerat; lucem diei, & tenebras

nocti

„noctis in obsequium suæ malitiæ co-
„git, illam ad patranda, has ad te-
„genda scelera. Et cùm hæc agun-
„tur, dilabitur tempus pœnitentiæ,
„dilapidantur dies virtutum exercitio
„debiti, cúmque mors jam jam ex in-
„sidiis prorumpit, vitæ præsidentiâ in
„canam senectutem, in multa lu-
„stra, & in quandam æternitatem se
„se exporrigunt. Sentiunt miseri gu-
„lâ, atque cæteris depravatæ carnis
„lenociniis fractas, exhaustas, & sup-
„pressas prope jam præmortui corporis
„vires; vivunt dies, hebdomades, men-
„ses velut nunquam morituri. Mor-
„tem ipsi moribus invitant, nec ta-
„men exspectant. O miserum tempus
„sic viventium! O horrendam æternita-
„tẽ dies salutis tam miserè prodigentiũ!

Pro colophone hujus Loci notes velim, non omnia Adjuncta in amplificatione usurpanda esse, sed ea solùm, quæ in propositũ thema vim quandã, aut decorem conferre possunt. Demum cùm in Inventione occupatus Locos discutis, præ cæteris majorem diligentiam huic tribuas partim ob fæcunditatem, quâ illustria præbet argumenta; partim ob felicitatem, quâ ad recludendos alios Locos deducit.

cit. Unde habitâ quidditate rei ex LocoDefinitionis, censeo propediem ad hunc transeundun esse, ut, quibus circumstantiis res polleat, disquiratur.

227. *Antecedentiũ & Consequentium*

III. Magnam Antecedentia,& Consequentia tam usu, quàm explicatu cum aliis Locis, præcipuè causis, & effectis cognationem habent, multumque curandum, ne in ipsa eorum definitione in causas incidamus. Sunt autem antecedentia præviæ dispositiones, & necessariò requisitæ, ut res naturaliter è sua causa producatur e. g. ut rem quampiam odio, aut amore prosequaris, requiritur, ut prius ejus malitiam, damna, bonitatem, & utilitatem cognoscas. Consequentia sunt proprietates, quæ ex re vel physicè, vel moraliter positâ naturaliter, & necessariò resultant. Sic ad ignem sequitur calor; ad vulnus cordis mors, ad virtutem gloria; ad peccatum infamia, ad culpam pœna. Differunt ab Adjunctis, quòd hæc rei non sint necessariò connexa,sed tantùm per accidens e. g. Brutus ob commissam cædem capitis damnatus est Calend. Januarij. Quòd Calend. Jan. sit damnatus adjunctum est, potuisset enim aliô

aliô die damnari. Quòd autem culpam homicidij ſecuta ſit pœna, Conſequentia dicimus, quia aliqua pœna vel à Deo, vel propriæ conſcientiæ verme culpam neceſſariò ſequitur.

2. Antecedentia, & Conſequentia ſunt alia temporis, alia illationis. Illa ſunt, quæ rem tempore, vel ante cedunt, vel conſequuntur. Uti hyems eſt: ergo autumnus præceſſit. Vel natus eſt homo: ergo morietur. Jure punitus eſt: ergo deliquit. Pax ſancita eſt; ergo bellum fuit. Si jam ex his antecedentibus v. g. pacis velis laudare pacem, affers graviſſima mala belli, dicisque hæc omnia uno pacis bono ſublata. Dixi n. 1. tam proprietates in Conſequentibus, quàm diſpoſitiones in Antecedentibus re phyſicè vel moraliter poſitâ conſtituturas hunc Locum. Si igitur à bello phyſico ad morale, ſcilicet ad bellum peccatoris cum Deo tranſitum facis, inſigniter poteris extollere Sacramentum Pœnitentiæ ab antecedentibus. Nam antequam per pœnitentiam pax compoſita eſt, erat peccator inimicus Dei, contra illum armabant ſe omnes creaturæ. Cumque multa, quæ præceſſerant pacem pœnitentiæ, attuleris, 228. *temporis*

magnum tibi campum aperies dilaudandi hoc Sacramentum. Pertinent autem ſimilia argumenta ad antecedentia, & conſequentia temporis, non quòd verè dies, & menſes requirantur ad ſanciendæ inter Deum, & hominem pacis fædus, cùm homo unicô momentô perfectâ contritione juſtificari poſſit; ſed quòd ad auxeſin cum indifferentiis tèmporum apprehendamus.

229. *illationis ex* 3. Conſequentia illationis ſunt, cùm re quâpiam poſitâ inferimus multas ejus conſequentias, proprietates &c. eamque illis laudamus, vituperamus, aut probamus. Velis e. g. probare, quám neceſſaria ſit bona educatio, pone hanc propoſitionem. Liberi non ritè educantur. Tum ſubde ea omnia, quæ ex propóſitione debent neceſſariò ſequi. Ea autem omnia cenſentur neceſſariò ſequi, quæ viri docti, experientia, uſus, conſuetudo, natura demonſtrant ſecutura. Qualia ſunt: ergo liberi evadent voluntatis ſuæ mancipia: ergo Dei, parentũque juſſis refractarij reſiſtent: ergo evadent in malos juvenes; ergo adoleſcent annis, & malis: ergo malis exemplis depravabunt alios. Idem dic de antecedentibus

tibus illationis. Sit hæc propoſitio. Petrus eſt inſignis Rhetor. Affer jam ea, quæ ad notitiam Rhetorices neceſſariò prærequiruntur, & dic: ergo inſignem habuit magiſtrum: ergo ſedulum impendit eventilandis Locis, conſtruendis figuris, efformandis orationibus ſtudium. Atque hæc ſimilia argumenta ita tractantur. Primum. Adeſte vos parentes, quibus plus ſtudij ſaginandis bobus, quàm educandis liberis incumbit. Tantúmne vobis ſunt immortales animæ veſtris curis commiſſæ? Agros colitis, & liberos omni culturâ deſtituitis. Si diutius improbâ clementiâ connivebitis ad orientis ætatulæ mendaciola, paulatim ibitur ad perjuria; rebus in modicis ſinitis adhærere ſuæ ſententiæ, paulatim evadent voluntatis ſuæ mancipia, Dei, veſtriſque juſſis refractariè ſe ſe objicient &c. Secundum. Haud opus eſt meis verbis, ut, quantos in Rhetorica profectus fecerit Petrus, demonſtrem. Demonſtrat id eloquentiſſimus ille, quo uſus eſt, Magiſter, cujus facundiæ flumen penitus exhauſit; demonſtrat intenſa illa, quam eventilandis Locis &c. Liceat ex his

ad thesin nostram ita loqui per Du
bitationem.

„Hæc terribilia sunt, terribilior
„restant. Est aliquis seu in solio Rex
„seu in humili casa colonus? seu pon
„tificum pedo, seu consulum fascibu
„insignitus? seu in bello fortis, seu ir
„pace doctus? Si auserit Dei legem
„temerè violare, jam miser est, infe
„lix, inops. Inopiæ tollendæ null
„sufficient Regum thesauri, infelicita
„tem non tollent summi honores, mi
„seriam non amici, non auxilia, nor
„consilia ulla hominum poterunt con
„ferre, ut in divinam gratiam repo
„natur. Animadvertat in se flagris, ex
„currat ad Divorum exuvias, ædificet
„templa? Incassum hæc omnia sub
„ibit molimina: donec ex animo tol
„latur peccatum, hominis cum Dec
„amicitia non poterit restaurari.

230. Antecedenti uno, & consequentibus multis.

4. Magnam vim habet hic Locus,
si ex uno antecedenti multas inferi
mus consequentias. Velis itaque e.g.
probare miserum statum peccatoris,
dic eum inimicum Dei, & tum ea,
quæ ex hac inimicitiâ sequi videris,
per insignem figuram affer.

Si

„Si mihi quemdam afferre posses, „qui paganum, Turcicum, hæreticúmque orbem ad fidem adduxisset, quantus, quantisque elogiis dignus esset „hic iste vir? Et tamen si post tot „spolia impietati erepta lethali noxâ „Dei violet amicitiam, nil proderunt „ad salutem tot terrâ, marique exantlata pericula, nil proderit ille in dicendo Zelus; ille in frangendis idolis, succendendis fanis, evertendis impiis Sacris tot annis continua, in tot „locis infracta, cum tot personis æqualis, inter tot labores indefessa fortitudo. Supremo Numini odio, Cœlitibus ingratus erit; sibi tortura, dæmoni plausus; proscriptus cœlo, hospes inferni.

5. Par inest vis, cùm ex multis antecedentibus producimus unā conclusionem, quam intendimus. Uti si in dato exemplo probes hunc hominem malè moriturum.

Antecedentibus multis & consequenti uno

„Et eheu! si hic homo sequitur depravatæ naturæ consilia, non agnoscet miserrimā suam sortem, non Dei „implorabit misericordiam; non quæret Divorum patrocinium; pœnitentiam aut parvi pendet, aut procrastinábit; proborum consilia aut

„non audiet, aut negliget; negoti-
„um ſalutis aut in poſtremis habe-
„bit, aut penitus deponet. Et hunc
„probitatis, ſalutis, ſui, Deique tam
„prodigum dilapidatorem beatam
„mortem obiturum quis ſperare au-
„ſerit? potius dicamus neceſſe eſt
„peſſimæ vitæ haud meliorem mor-
„tem fore digniſſimum ſupplicium.

temporis 6. Hic Locus ſervit ad probandum, & laudandum, ſi afferimus antecedentia temporis, & illis allatis concludimus id, quod intendimus. Velis Euſebi e. g. laudare parſimoniam temporis, pervade potiores temporis differentias, ſingulis allatis novas ſequelas producito. Da mihi juventutem, quæ futilibus ludis abſtineat, horas addiſcendæ virtuti, litterisvé impendat. Sua adultæ ſtet ætati temporis cura, nemo dilapidet otiô vel horam unicam. Senes quò annis, eò annorum juſtâ æſtimatione præcedant juniores; & ego tibi inſignis reipublicæ peregregiam imaginem. Libri certatim legentur, aut doctè ſcribentur; gulæ illecebras nemo in votis, omnes in execratione habebunt. Lin-

gua

guæ vitia obmutescent, inutilis novorum cupido morietur. Seriis omnes, nemo vanis occupabitur. O divitem temporis parsimoniam! O restauratricem virtutis! O magistram litterarum admirandam!

7. Huc pertinent signa, notæve rerum, vitiorum, virtutum (de quibus p. 2. c. 5. n 96. ex) quibus inferimus laudem, aut vituperium, affirmatis signis probamus, negatis negamus; valet potissimùm, si negatis signis habitûs mali asserimus habitum bonum contrarium, aut vicissim. Ex hoc Loco probabis quendam superbum, si cum S. Odone de ipso dicas. Aliena opera despicit, sua miratur; singulariter cuncta se agere credit, & si nullus collaudaverit, ipse tamen suas laudes, aut tacitus, aut etiam per ostentationis vocem clamat. In tristitiâ verò, sive in lætitia semper modum excedit. His allatis inferes. In animo sordibus tam fœdè contaminato quis quærat pulchritudinem humilitatis? *signorum*

8, Demum si antecedentia, & consequentia sumimus sine rigore, vagantur per singulos Locos, & ex sin- *vagantium per Locos singulos.*

singulis argumenta depromere possumus e. g. à definitione: Petrus est homo: ergo fuit nihil: ergo est mortalis: ergo uti debet ratione sua. Ab Ennumeratione partium. Alij scep-tra vibrant, alij ligones tractant, alij in academia, alii in curia, alij in officinis, alij in castris desudant: ergo omnes debent laborare.

§. V.

Monstrantur Lapidicinæ Causarum, Effectuum, & Comparationis.

Usus Causarum

1. F*ubulus* Ad omne genus dicendi summè necessaria est oratori cognitio Causarum, suntque nihil aliud, quàm id, à quo aliquid quomodocunque provenit. sic ex corpore, & anima homo, ex adversis patientia, ex saxis domus, ex lucro labor. Et hæ causæ sunt quatuor; materialis, formalis, efficiens, & finalis. Jam de singulis.

quadruplicium

materialis ex

Causa materialis est, ex qua efficitur effectus; sic aurum, & gemma sunt materia coronæ. Atque hæc materia oratoribus est triplex: unam ex qua, alteram in qua, ter-

tiam

tiam circa quam dicunt. Causa materialis ex qua est illa, ex qua res aliqua componitur, uti domus ex lapidibus. Et hæc iterum duplex est: naturalis, & artificialis. Naturalem eam dicimus, quam contribuit natura, Deus, uti corpus in homine; artificialem dicimus illam, quam ars confert, & aptat ad artefactum, uti ligna in construenda domo. Utraque iterum dividitur in transeuntem, & permanentem. Illa mutatur, ut ligna sunt materia ignîs, sed transiens, quia illis consumptis fit ignis. Hæc permanet in composito sub priori forma substantiali, velut saxa in ædificio, gemmæ in coronâ. His notatis facilè ex fæcunda hac Lapidicina erues materiem argumentandi.

Imprimis ergo quidquid potes dicere, aut negare de materia ex qua, potes dicere, aut negare de ejus effectu, modò nullum desit ex necessariis requisitis e. g. Homo ex terra coagulatus est; ergo corruptionem, ejusque assèclas, ac mobile quoddam omnium morborum nosocomium circumducimus. Visi sunt totius Europæi orbis lapides ad condendum palatium

quâ

naturalis

artificialis

transeuntis

permanentis

modò gemino ad

convehi : ergo conditur magnum palatium. Jussa est Flora omnem suam seminum conferre opulentiam: ergo crescent multi fructus. Econtra si tollis materiam ex qua, tollis etiã à composito prædicata, quibus antea pollebat. v. g. pauca ligna ad succendendum rogum allata sunt: ergo ignis non fuit magnus. Domus fabricata fuit ex ligno: ergo non est sumptuosa. Id quod tamen nonnunquam limitandum in materia transeunte. Valent autem similia ad probandum, si addimus alteram conclusionem, uti: ergo qui hanc domum succendit, non intulit grave damnum. Ubi tamen per conclusionem non intelligimus philosophicam illationem per particulam ergo, sed oratoriam beneficio amplificationis factam, ut, si velis Dagobertos, Henricósve laudare à liberalitate in ordinem nostrum; afferas; quam sumptuosa condiderint templa, quantum auri, gemmarumque profuderint in vasa sacra, calices, reliquumque ornatum. Porro materia permanens, & artificialis præbet amplissimum apparatum ad hypotyposin, si ille petatur à Loco Par-

laudandum, & vitupe-randum per

Hypotyposim, & Partitionem in

Partitionis. Sic graphicè ob oculos pones auream Virgineæ Matris ſtatuam, aliáve pretioſa artefacta. Et velut ſimile artefactum confeciſſe, laudis eſt; ita confregiſſe vituperij inſignem præbet dicendi locum. Atque inde potes damna belli, hæreſis &c. exaggerare, quibus omnis hæc ſacra opulentia fuit abrepta; ad uſus profanos, & ſacrilegos converſa. 232.

2. Materiam in qua dicimus ſubjecta accidentium, ſeu ac, in quibus recipiuntur formæ accidentales. Talès ſunt omnes ſcientiæ, omnes virtutes, omnia peccata, omnes colores, calores, ſapores, &c. Illa autem in quibus reperiuntur hæ formæ, dicuntur materia in qua: hinc quia albedo in muro, ſcientia in intellectu, virtus in voluntate recipitur, murus, intellectus, & voluntas ſunt ſubjectum, ſeu materia in qua. Atque ex hac ſic ducuntur argumenta. Tolle ſubjectum, & ſuſtuliſti accidentalem formam. Petrus habet ſtramineum caput: ergo fruſtra docebis eum Rhetoricam, Terra eſt prorſus ſterilis: ergo incaſſum colitur. Præterea, ſi ſubjecto vel naturâ, vel pru-

qua, circa

prudentum exiſtimatione inhæret forma ſublatô ſubjecto tollitur etiam forma e. g. hæc res non eſt dulcis : ergo non eſt mel. Non rutilat : ergo non eſt carbunculus. Eò tandem quamque rem probamus eſſe meliorem, aut deteriorem, quò meliores, aut deteriores formæ accidentales inhærent : ſic eum, in quo ſunt magna ſcientia, gratia, ſanctitas ; bonum dicimus ; econtra in quo vitia, & inſcitia reperiuntur, eum vilem cenſemus.

233. 3. Materiam circa quam dicunt Philoſophi etiam objectum materiale, eſtque id, circa quod verſantur ſcientiæ, habitus, & potentiæ. Sic materia circa quam Rhetorices ſunt omnes res, de quibus diſſerit ; leges, quibus docet è Locis eruere argumenta, è figuris movere, ex amplificatione variare orationem. Sunt exordiorum genera, periodorum circuli, & apta orationis, partiúmque connexio. Materia circa quam alicujus habitûs tam mali, quàm boni ſunt ea omnia, circa quæ occupatur. Atque ita fames, ſitis, carceres, rotæ,

quam, in

ſcientiis

habitibus

rotæ, infamiæ, neces ſunt patientiæ; gemmæ, aurum, prædia, nobilitas, ſcientia ſunt materia circa quam ſuperbiæ. Omnes colores oculorum, omnes ſonitus aurium, omnes odores odoratûs, omnes ſapores guſtûs, omnes in toto corpore ſeu cruciatus, ſeu voluptates ſunt tactûs materia circa quam: eodem modo quodvis verum intellectûs omne bonum voluntatis, omne præteritum memoriæ eam, de qua diſſerimus, materiam pronuntiamus. Ex his noſtrum exemplum ſic propagabis.

potentiis externis, &

internis

„Prolixæ huic miſeriæ accedit ad „cumulum brevitas vitæ. Hor„ridam namque eam mortem miſe„ro jam jam iminere ipſa corporis „voluptatibus exhauſti valetudo de„monſtrat. Quàm malo corporis, „tam malo mentis ſors loco conſiſtit. „Hebes miſeri intellectûs eſt: non ad„mittit bene conſulentium monita. „Voluntas virtutibus vacua, & long a „peccandi conſuetudine infirma eſt: „Deo, legi, rationi perversè reſiſtit,, „ſalutis conſilia contemptu explodit. „Terra ſterilis eſt, cloaca ſcelerum eſt, „putridum lignum eſt; niſi Deus cul„turæ, labori, ſtudióque tuo ſingu-

„larem,

„larem opem conferat; hanc ſterilem „terram nunquam coles, hanc fæti-„dã cloacam nunquã repurgabis, hoc „putridum lignum nunquam ad vir-„tutis formam effigiabis. Probita-„tis adjumenta quàm improbè ver-„tat in ſcelerum facinora, quis ex-„plicet? adverſa quæque, contemtum „minimum, & quod pudet dicere ipſa „Dei munera, quibus probi utuntur „ad Chriſtianam fortitudinem, ad „animi demiſſionem, ad illecebrarum „victoriam; ipſe in furoris, faſtûs, gu-„læ & libidinis convertit irritamen-„ta. O miſeram vitam miſerrimæ „mortis infelix portentum!

234. *formalis* 4. Cauſa formalis eſt ratio, & differentia rei, per quam in ſuo eſſe conſtituitur & diſtinquitur ab aliâ; ſic anima in homine, ille color in pariete, illa effigies in templo; ut enim anima eſt, quæ conſtituit hominem, diſtinquitque ab omni alio, quod non eſt homo; ita color parietem, & effigies templum diſtinquit ab alio colorato, & ab alio cumulo lapidum. *eſſentialis* Sed alio modo anima rationalis hominem, alio color parietem, & alio diſpoſitio lapidum templum conſtituit: illa hominem eſſentialiter, hic parietem,

rietem accidentaliter, & iſta templum artificialiter componit. Hinc triplex eſt Locus à formâ eſſentialis, accidentalis, & artificialis. Eſſentialis habetur à natura rei, ut forma animæ rationalis, ignîs; artificialis ab arte, ut forma coronæ, ſtatuæ; accidentalis quandoque ab arte, ut color in ſtatua, quandoque à natura, ut color in animali. Ex his ducuntur ſic argumenta. Primò. Eò quæque res eſt melior, quò gaudet meliore formâ; & econtra eò quæque deterior, quò pejor eſt forma. Sic angelus eſt præſtantior homine, quia melior angeli, quàm hominis eſt forma; duorum coloratorum illud eſt præſtantius, quod colorem habet præſtantiorem; illam ædem dicimus alterâ meliorem, quam ars meliori formâ elaboravit. Secundò. quæ formæ tribuimus, aut negamus; tribuimus, aut negamus etiam ſubjectis e. g. virtutes (quas uti omnes ſcientias divitias, robur, nobilitatem dicimus formas accidentales) ſunt præſtantes: ergo etiam virtuoſi ſeu ſint cives, ſeu ruſtici, ſunt præſtantes homines.

accidentalis

artificialis

Tertiò.

Tertiò. Eum gradum tribuimus aut negamus ſubjectis, quem tribuimus, aut negamus formis, e. g. virtus eſt millies præſtantior quàm opulentia : ergo etiam virtuoſus eſt millies præſtantior, quàm opulentus. Quartò tales ex merito in ſubjectis probamus, aut damnamus effectus, quales exigunt formæ. e. g. Homo pollet animâ immortali: ergo debet immortalitatem operibus quærere. Petrus excellit Rhetorica: ergo meritò exſpectamus ab ipſo inſignes orationes. Cajus laborat ſuperbiâ; ergo cavendum ejus incedendi, loquendi, jactandique exemplum. Demum licet hic Locus ad probandum ſit nonnunquam ſterilis, ad deſcriptiones tamen rerum admodum ſervit forma artificialis. Cape ad noſtram theſin exemplum.

„ Unum cuique homini ſufficit „vitium ad accelerandum interitum, „& æternæ mortis exitium: quid di„cemus de eo, in quo ſuperbia cum „gula, libido cum avaritia, ira cum „ invidia de primatu malitiæ „certat? Quid dicemus de eo, „qui omnes regere cupit per „faſtum

„faſtum, & ab omnibus vitiis regi-
„tur per voluptatem?

5. Cùm cauſa efficiens ſit principium, à quo effectus proficiſcitur, tot habebimus cauſas efficientes, quot ſimilia principia. Sunt autem ea duplicis generis, naturalia nempe, & moralia. Illa ſunt, quæ phyſicè; iſta, quæ moraliter ſolumodò influunt in effectũ. Sic aurifaber eſt cauſa naturalis coronæ regiæ, concionator autem eſt moralis cauſa pœnitentiæ peccatori perſuaſæ. Utraque iterum eſt varia. Et quidem phyſica alia eſt producens, ut Deus omnium rerum, homo artefacti, pictor imaginis; alia eſt deſtruens, ut grando ſegetum; alia augens, uti frequens ſtudium ſcientiæ; juvans, uti inſtrumenta facinoris, gladius homicidij; alia creans, ut Deus; educens, ut ſol auri. *235. efficientis. physica, producentis destruentis augentis juvantis creantis educentis*

Moralis autem alia eſt permittens, ſuadens, captans, cogens, impediens, afferens. Sic cauſa permittens peccatorum reſpectu liberorum, famulorum, & ſubditorum ſunt parentes, Domini, magiſtratus. Suadens ſunt illi, qui verbis ad peccata, vel virtutem hortantur. Captans ſunt, qui beneficiis, promiſſis, ad aliquid agendum *Moralis permittentis. Suadentis captantis*

cogentis alliciunt. Cogens ſunt, qui minis, tormentíſve ad facinus compellunt. *afferentis,* Afferens ſunt, qui ſubſidia, opémve ad *impudientis,* aggrediendum præſtant. Impediens ſunt, qui obſiſtunt agenti, ut dæmon, vitioſa natura, mali ſocii operantibus bonum. Singula memoriæ causâ his verſibus complexus ſum. Cauſa efficiens.

Permittit, Suadet, Captat, Creat, Efficit, Auget,
Deſtruit, Educit, Cogit, Juvat, Impedit, Affert.

Si jam ex ſingulis cauſis velim laudare e. g. virtutem, aquires amplam dicendi materiam præcipuè ſi verba recenſita (uti res ipſa exigit) ſumas in ſenſu quodam libero, ac ut pro permitto dicas concedo, præbeo &c. Facio tibi periculum in dato exemplo.

236. *Permittit* Tanta eſt virtutis pulchritudo, ac præſtantia, ut ſi Superis ſolam gratam, & hominibus ſolam utilem dixerimus, ex æquo judicemus. Ecce tibi quanta Deus virtutis ſtudioſo ſuppeditat media! Bonus quisque ipſi exempla imitandi, & improbus patien- *Suadet* di præbet. Virtutem ſuadet in roſtris præco, in animo angeli, in libris De- *Captat* us. Allicit præmiis, trahit illiciis, & ipſâ,

ipſa, quam virtuti indidit, ſuaviſſima voluptate concitat, ut nihil in virtute aut arduum timeatur, aut rigidum fugiatur. Ipſi præterea animæ noſtræ Deus Ter optimus ingenuit virtutis amorem, impreſſitque, ut homo ſe inopem deploret, donec illâ potiatur. *Creat*

Quid dicamus de humanæ voluntatis admiranda vi, qua efficere valet, ut omnis ejus actio ſit actio virtutis? Si ſerio velit, ſomnum & vigiliam, quietem & laborem ad dignitatem virtutis evehere poteſt: nihil tam pretio exiguum, opere vile, conatu minutum, quod accedente virtute nequit augere, auctum ad inſigne meritum, grande hominum exemplum, illuſtre Numinis beneplacitum extollere. Deſtruant morbi corporis vires, ætas ingenium, ſenectus memoriam; dæmon ipſe voluntatem ferociter aggrediatur, & virtus vertet omnia diſpendia in lucra. Da ſterile ſolum, da ligones, da cuncta artium inſtrumenta lucrô, & pretiô viliſſima; tam abiectum tamen nihil attuleris, ex quo ſancta voluntas virtutis illuſtre opus non producat. Venio jam à rebus vilibus ad ipſos dæmones *Efficit* *Auget* *Deſtruit.* *Educit.* *Cogit.*

quaque re longè viliores, venio ad ſceleſtorum hominum turmas, venio ad ipſos inferos: inſpice ſingulorum malitiam, miſeriam, ac cruciatus, & fatebere te à ſingulis ad virtutem cogi, & compelli. *Juvat* Quid dicamus de tot virtutum inſtrumentis; de tot libris, quibus docetur? de tot dictis, quibus ſuadetur? de tot exemplis, quibus inculcatur? Suus militem gladius, ſuus ruſticum ligo, ſuus quemque opificem malleus, dolabra, reſtis, ſubula, acus, forceps, ſcalprum, penicillus, & calamus ad virtutes non ſolùm juvare, ſed ad ſummam virtutum perfectionem promovere poſſunt. *Impedit* Et interea ringatur orcus, ſæviat dæmon, obſiſtat hominum malitia, mundus omnes ſuas machinas objiciat; nemo tamen efficere poterit, ut huic gladio, ligoni, cæteræve, de qua diximus, armaturæ iſthæc ad virtutem efficacia minuatur. *Affert* Dic quidquid in cœlo ſublime, aut in orco ferale, aut in mundo grande, in ſcientiis abſtruſum, in artibus commodum, in tempore breve, ac in æternitate infinitum; id omne ſua ad virtutem confert commoda, ſubſidia, incitamenta. Clamet virtuti dedita anima Cœlitum opem, & impetrat:

cogi-

cogitet infernum, fugit: augeatur honoribus, sibi studio humilitatis vilescit. Ac tandem ut inter omnia virtus est omnium præstantissimum; ita inter omnia is est optimus, maximus, summus, qui ad virtutem optimis mediis excitat, maximis præmiis allicit, summis bonis invitat, Deus. Is *affert* omne, quod prodest; *impedit*, quod nocet virtuti. *Juvat* eos, qui volunt; *cogit*, qui nolunt studere virtuti. *Educit* ex humili virtutem, superbum *destruit* propter virtutem: virtutem, cùm est, *auget*; cùm non est, *efficit*. Gratiam *creat* misericorditer, gratos beneficiis *captat* liberaliter. Bona denique, & mala ad virtutis exercitium aptat: illa, cùm suadet; ista, cùm permittit.

Ex his vides amplitudinem hujus causæ. Nam præterquam quòd uni rei (secundùm diversas tamen rationes) possimus tribuere omnium allatarum causarum (velut in fine dati exẽpli tribui Deo) vim, complectitur hæc causa non solùm duodecim allatas voculas, sed omnia verba activa; & velut id, quod est activum spectat ad causam efficientem, ita quod est passivum ad Locum Effectorum, aut

237. amplissima

causæ materialis. Curandum tamen, ne incidamus ab hoc Loco in Adjuncta, de quibus §. 4. n. 215.

Ex causa efficiente tandem educimus argumenta primò, si negata causa negamus effectũ, & affirmatâ affirmamus. e.g. nemo colit ingẽiũ in hac urbe: ergo doctrinæ fructus nullus sperãdus. Omnes colunt ingenium: ergo messis doctrinæ fæcundissima exspectanda. Secundò accidentia, quæ negamus, aut affirmamus de causa, neganda, aut affirmanda sunt de effectis. Apelles pinxit imaginem, Cicero dixit orationem pro Lege Man. ergo illa ad pictoriæ, hæc ad Rhetoricæ leges elaborata est. En exemplum.

„Quid dicemus de eo, qui negligit proborum consilia, spernit conscientiæ remorsum, Dei minas non timet? Quisquis vel unicam lethalem noxam patrare ausus est, commisit facinus longè horribilius, quàm si incendisset urbes, evertisset regna, orbem universum destruxisset. Qua ergo ratione beatam mortem vaticinari possumus illi, qui omnem ætatem in sceleribus trivit? improbis malitiæ facem prætulit? necdum tamen ulla seriæ pœnitentiæ consilia suf-

„ſuscipit, ſed univerſa, queis ſalus æ-
„terna obtineri ſolet, in neglectu ha-
„bet, aut contemptu?

6. Finis eſt cardo cauſarum, in quo ſingulæ moventur, & cujus gratiâ ſingulæ agunt, ac quæcunque agunt, ad illum ceu ſuæ intentionis ſcopum referunt. Sic finis hominis eſt cultus Dei, & æterna ſalus; belli, pax; medicinæ, ſanitas; academiæ, doctrinæ. Cumque media ſint propter finem, talia ſunt illa, qualis iſte; ſi bonus iſte, erunt & illa bona; ſi malus, & illa mala. 238. *Finis.*

2. Finem dicimus triplicem honeſtatis, jucunditatis, & utilitatis. Quidquid enim agimus, aut honeſti, aut jucundi, aut utilîs, bonô moti facimus. Honeſtum dicimus, quod à virtute, ac proin à Deo, ſana religione, ritè conſtitutis legibus, ratione, dictis, & monitis ſapientûm proficiſcitur. Jucundum eſt, quod animum ſyncera voluptate perfundit. Utile, quod bona corporis, fortunæ, animi confert, auget, aut conſervat. Econtra verò finis inhoneſtus eſt, quod à virtute, Deo, & ratione abludit: injucundus, cui nil voluptatis: inutilis, cui nil commodi ineſt. *honeſti* *jucundi* *utilis,* *inhoneſti* *injucundi,* *inutilis.*

232. *Signati notis.*

3. Finis cognoſcitur ex particulis ſignificantibus ſcopum voluntatis, veluti ſunt; *cui bono, ex, propter, cur, aut, ſi, hunc in finem*, & demum quoties ſermo eſt, de mediis, licet alio ſubſtantivô exprimantur, uti eſt induſtria, præparatio; media namque nunquam ſine ſuo fine inveniuntur.

fecundi argumentis ad

4. Ex hoc Loco eruis argumenta. 1. qualis eſt finis, talia ſunt media; e. g. finis virtutis eſt nobiliſſimus: ergo etiam ſtudium virtutis, finis gulæ eſt voluptas bruto communis: ergo eſt vitium brutorum. 2. Qui ſeriò finem cupit, adhibet etiam media: Cajus ſeriò cupit doctrinam: ergo audiet magiſtrum, ſtudebit. Et econtra, qui nullus eſt in mediis, cenſetur nullo finis teneri deſiderio: Cajus non ſervat leges Chriſti: ergo non connititur ad virtutem Chriſtianam. 3. Negata cauſa finali negamus effectum: Cajus non habuit illam cauſam Petro ſtruendi inſidias: ergo non eſt inſidiatus. 4. Quando ſpes conſequendi finem non affulget, cenſemus finem non intentum, & medium non impenſum: Cajus cæcus eſt: ergo non ambit mitram.

5. Ex

240. *laudandum*

5. Ex his patet finem plurimùm conferre ad laudandum, vituperandum, & suadendum, amplificandum, exornandum. Ad laudem valet, si afferimus, quàm illustris, & sanctus finis cuidam facto sit præfixus. Ad vituperium confert, si probes factum quoddam patratum ex mera Superbiâ, vindictâ, voluptate &c. Ad movendum vehemens est, si proposito fine bono probes fini prorsus contraria patrata esse. Homo ad Deum laudandum conditus est. Sed ipse Dei sui oblitus sinit se in voluptates abduci &c. Similis his ratio est, cùm afferimus primò ea, quæ contra finem patrata sunt, ac tum allato fine illorum vel præstantiam, vel fœditatem exaggeramus ponendo ob oculos ipsum finem. e. g. Peccator legem Dei violat &c. Quanta autem lateat in his fœditas, quis non videt? Conditus est homo, ut Deum laudet &c. Hæc singula peccator negligit, contemnit &c. Ad amplificandum prodest, si primario fini adjunguntur per ennumerationem secundarii e. g. S. Gregorius M. misit in Angliam suos discipulos, ut rem catholicam implanta-

vituperandum

movendum.

amplificandum

taret. Affer jam ea, quæ ex fide ſequuntur hoc modo: ut idola deſtrueret, fana everteret &c. & Anglia non tam Anglorum, quàm Angelorum patria evaderet. Ad exornandum colores præbet, ſi per particulam *pro* agendorum rationes damus, ut ſi de S. Gregorio in dato exemplo dicas: pro ſuo illo, quo in Superos ardebat affectu, in homines zelo, in virtutes omnes ſtudio, laborem nullum non eſt, ut in Angliam Chriſti leges inveheret, perpeſſus. Huc pertinet, ſi ad finem conſequendum exornamus media, idque ab Adjunctis, & Partitione. Ut tandem Angliâ inſana deorum religio proſcriberetur, indixit comitia ſacra, fudit preces, ſubmiſit libros, ablegavit viros Apoſtolicos &c. Jam ab Adjunctis. Huc vires ingenij, Regum favores, tempus omne contulit &c. O virum magnum vel hoc ſolo nomine. Habes jam dictorum imaginem.

exornandum

„Quid igitur mirum, ſi divina „Nemeſis pro ſuo in tam graves no„xas odio ſubitâ morte noxium abri„piat, & ad ſeverum judicium citet? „ut de centenis bonis tum dilapidatis, „cum

„cum impeditis; de millenis ſcele-
„ribus tum patratis per malitiam, cum
„permiſſis per ſocordiam reddat ratio-
„nem. Et eheu! jam jam fatali
„ſub ictu poſitus periculum non ad-
„vertit, ut futili voluptate potiatur,
„æterna tormenta in nullo metu ha-
„bet: ut animam ſervet, nil curæ, ut
„libidinem ſuam exſatiet, omnem cu-
„ram impendit.

1. *Euſebius* tam fæcundam argumentorum Lapidicinam cauſas eſſe, velut modò didici, me hactenus latuit. *Eubulus*. Longè tamen fæcundior ſunt Effecta, &, ut videbis, uſu expeditior. Cicero definit, quòd ſint ea, quæ orta ſunt de cauſis. Seu Effecta dicimus illa omnia, quæ ab aliqua cauſa progignuntur. Sic aurum dicitur effectus ſolis, gramen terræ, corona aurifabri, ſtudium ſcientiæ. Ac proin tot genera Effectorum aſtruenda ſunt, quot cauſarum deſignavimus. Alij effectus à cauſa materiali, alij à formali, alij ab efficiente, alij tandem à finali proficiſcuntur. 241. *Effectorum*

2. Ex

inferendo causam ex effectu

2. Ex effectis autem cujuslibet causæ ducis argumentum: primò inferendo causam posito effectu, vel negando causam negato effectu. 2. attribuēdo causæ qualitates effectuum, atque adeo, si hi boni, etiam causam bonam; si mali, malam pronuntiabis. Siquis igitur scire velis quantum quæque res sit æstimanda, & damnanda, respiciendum erit, quanto pretiô, vel odio digni sint effectus.

tribuendo causæ cuivis qualitates effectuum.

causa nunc efficientîs, nunc finalis, nunc

3. Notandum tamen velut non quælibet cujuslibet rei causa argumenta præbet, sed nunc causa materialis, nunc formalis &c. pro natura subjectæ thesis; ita quoque non cujuslibet causæ Effecta serviunt ad producendas rationes. Sic in hac thesi nostra *Peccatum est horrendum.* Effecta causæ finalis, & efficientis præbent illustria argumenta; econtra minus fortia causæ formalîs, nullum materialîs. Dices ergo peccatum ex effectibus causæ efficientis. Infamat, mancipat dæmoni, excæcat; pellit è cœlo angelum, è paradiso protoplastum, submergit orbem, consumit Pentapolim; efficit dæmonem quemque delinquentem, inimicum Dei, probrum universi; crucifigit Christum, destruit uni-

universum, ipsa Dei attributa invadit: ergo horum omnium causa efficiens peccatum est horrendum. Par fæcunditas præbetur ab Effectis causæ finalis. Committitur ob vilissimam voluptatem, ut satisfiat nefastæ libidini &c.

4. Econtra verò hominem ab Effectis formæ substantialis insigniter laudabis, Christianum ab Effectis formarum accidentalium, tales sunt effectus doctrinæ, virtutis, patientiæ, charitatis. Si jam tibi proponas cujusdam Apostoli Zelum animarum, & hujus Zeli effectus dinumeres, amplissimam laudis copiam reperire poteris. Vicissim verò necessitatem humilitatis nunquam magis probaveris, quàm si discutias effectus causæ materialis. Homo constat ex corpore: ergo subjectus est mille morbis, mille naturæ necessitatibus, morti, corruptioni. Is, qui modò fulget in solio, brevì putrescet in sepulchrô.

242. formalis

materialis pro qualitate theseos subjecta, ad amplificandam

5. Ex his vides, quantam dicendi copiam præbeat hic Locus tum amplificationi, cum descriptioni: illi quidem, cùm cujusdam rei effectus coacervamus, ut n. 3. hic vides. Huic, cùm rem ex quopiam Loco defini-

mus

mus, & ſic definitæ tribuimus effectus conformes. Dic e. g. concordiam animorum, columnam reipublicæ chriſtianæ, & tum ea, quæ hæc columna præſtet è ſingulis cauſis, per hypotypoſin recenſe.

describendum

definiendum

6. Porro valet ad definiendum, & refellendum. Illud fit, ſi ea, quæ effecta ſunt, per ſubſtantiva exprimimus e. g. peccatum excæcat mentem, mancipat dæmoni, deſtruit univerſum; dic ergo peccatum, illa mentiũ cæcitas, ille dæmonum mancipatus, illa univerſi deſtructio. Ex cauſa finali dices voluptatum conciliatricem &c. Atque ſic ex hoc Loco dices S. Benedictum virtutis magiſtrum, Solem Eccleſiæ &c. & valet potiſſimùm ad implendum numerum oratorium. Ad refellendum conducit, ſi proferimus effectus cauſæ ab adverſariis poſitæ prorſus contrarios. Sic eum, qui ſolitudinem triſtem dicit, facilè confutabis. An tu ſolitudinem injucundam dicis, in qua tot divinæ gratiæ comparantur opes? ad quam confluunt angeli? & Deus ipſe adeſt, nunc ut doceat inſcium; nunc ut erigat lapſum; nunc ut conſoletur triſtem? Dic ubi purioris gaudij ſcaturigo

243, *refellendum*

urigo ebullit, quàm ubi nullus mundi ſtrepitus auditur? ubi lites tacent, virtutes vigent?&c.

Demum ſi plura voles, reviſe, quæ de Loco cauſarum diximus: Effectis ſufficiat hoc exemplum.

„Atque ſic miſerrimus homo ſubita „morte abripitur in æternum exitium. „Qui nuper riſu, jocis, epulis, voluptatibus diffluebat, jam lachrymis, & „gemitu fluit; jam fame, ſitique tor„quetur; & gemet ſine ullo cōmodo „in æternū; & ſitiet ſine ullo refrigerio „in æternum. Ecce tibi ille in in„ceſſu Thraſo, ille in conviviis Lu„dio, ille in rixis Timon ſemper con„temnetur, ſemper ridebitur, ſemper „lacerabitur. Sed quis efferat ſingu„la tormentorum genera, & torquen„tium ad exacuendam torquendi cru„delitatem inſtrumenta? Oculos te„nebræ, aures immanis tot damna„torum vociferatio, nares tot cada„verum fætor, fauces ſulphur, & „plumbum liquatum, totum re„liquum corpus buſones, & ſer„pentes excruciabunt, & nunquam „deſinent; vorabunt, & nunquam „abſument, ſed ſemper erit & tor„quentibus ad torquendum, & tortis

„vita

„vita ad patiendum, ſed vita omni „morte horribilior: quamdiu enim ſic „vivent, tamdiu ſemper morientur, „& moriendo ſemper vivent, & vivendo ſemper excruciabuntur. O peccatum quàm grande malũ es, malorũ „tuorũ quæ profers, nunquã finis! Quid „dicemus de jure cœli, quod amiſſum „eſt? de odio Dei, quod contractum „eſt? de ſupplicio deſperationis, quod „inflictum eſt? & amiſſum, contra-„ctum, inflictumque pro futili voluptate, ab æquiſſimo Judice, & coram „orbe univerſo judicium approbante, „judicatum damnante!

244. *Comparationis triplicis.* 1. Comparatio eſt unius cum altero collatio. Et hæc cùm inſtituitur inter paria, parium; ſi inter majora, majorum; quando autem inter minora, comparatio minorum dicitur. Ex *parium* comparatione parium eruitur argumentum, ſi paria cum paribus conferuntur, & quod de illis aſſerimus, etiam iſtis tribuimus; & viciſſim, quod illis, etiam iſtis negamus.

„Horridam hanc cataſtrophen cùm „perpendo, peccatorum cæcitatem ob-„ſtupeſco. Norunt illi tam formi-„dabili exitio involvi eos omnes, qui „lethalibus noxis obſtricti ex hac mor-

„ta-

„tali vitâ abripiuntur; hos tamen vi-
„tâ, moribus imitari non verentur.
„Eadem ſcelera, in eundem ſeveriſſi-
„mum Judicem Deum, eâdem mali-
„tiâ, ob easdem futiles voluptates
„committunt; & cùm ſe omni gene-
„re flagitiorum illis ſimillimos vide-
„rint, ad eadem ſupplicia ſe abripi
„non formidant. O temeritatem!
„O cæcitatem! digna æternis erga-
„ſtulis patrare flagitia, & cùm rei ſin-
„guli trahuntur ad ſupplicia, ſupplici-
„um non timere!

2. A majori ducitur argumentum, ſi, quod magis videtur convenire, non cõvenit, ac exin elicimus, non convenire id, quod minus videtur conveniens. Seu ſi argumentamur à majori ad minus. Cajus publica flagitia contemnit: ergo non curat mendacium. Valet hic Locus plurimùm ad amplificandum, & probandum. *majorum*

„Damnavit Divina Nemeſis ad
„æternum exilium illos naturâ, ſapi-
„entiâ, multitudine tam ſublimes, no-
„biles, & excelſos ſpiritus, eosque
„omnes ob unicam noxam: quî par-
„cet viliſſimo homuncioni tot ſcele-
„rum reo, tam diuturnis beneficiis nu-
„trito, & pridem omni veniâ indigniſ-
„ſimo?

245. minorum 3. Ex comparatione minorum elicimus rationem, si, quod minus probabile est, verum tamen esse convincitur: ergo quod magis probabile, verum esse existimandum erit.

„Utinam oculos tuos in æternas „flammas conjiceres! quàm multos in „his incendiis excruciari videres, qui „non nisi unica lethali noxâ animum „contaminârunt. Quid dicis de tuis „numero tam multis, genere tam nefastis peccatis, per tot annos à benigno Numine tam patienter toleratis? Heu quid agis? an non vides unum peccatum sufficere ad succendendos inferni rogos, & tu peccata peccatis accumulas? Si damnatorum non potes contueri supplicia, „proborum saltem consideres certamina. Prensabant fortiter, exhauriebant hilariter crudelitatis impiæ „totam barbariem, & eligebant infinities mori, quàm Deum levissimâ „noxâ offendere; in sylvestrium cavcas rupium se abdere, procul ex hominum abire consortio, ad perpetuas „inediæ, frigoris, flagrorum, & cæteras austerrimæ vitæ artes se damnare malebant, ut à se vel minimam delinquendi occasionem propul-

„pulſarent. Quid ad hæc tu ille tot „criminum convicte peccator? pergésne Numinis honori, tuæ ſaluti „eousque vivere injurius, ut pro tollendis æternæ mortis periculis renuas te in ſacro tribunali, ad ſacerdotis pedes abjicere? Hoc tantillo labore ſtat tua ſalus. Heu miſerum „te, ſi tantillum detrectes!

246. *Exemplorum*

4. Huc pertinent exempla, & illuſtria facta Sanctorum, ex quibus hoc modo ducitur argumentum. S. P. Benedictus ſe in vepretum abjicit, & in ſpinas ad longam carnis lanienam ſe volutat, ut caſtitatis flores conſervaret intemeratos: à te exigitur facilis in viſu, guſtuque mortificatio.

facundiſſima.

5. Ex his patet Locum à comparatione perquàm eſſe idoneum ad refellendum, laudandum, & vituperandum. Nam ad vituperium valet, ſi afferas id negligi, quod ab alio diligenter conficitur; ad laudem conducit, ſi dicas, viciſſim ea confici, quæ ab alio ejuſdem conditionis homine non admodum curantur.

6. Demum extra argumentum ornat hic Locus, ſi poſt inſigne facinus

e. g. fortitudinis militaris relatũ exclamamus. O magnũ heroëm ſumis viris Carolis, & Alexandris accenſendum. Præbetur dein argumento materia, ſi inſtituimus ſimilitudinem facinorum, quæ ab iſtis, & ab illo, quem laudamus, patrata ſunt. Ejusdem generis eſt illa definiendi ratio, cùm quendam artificem dicimus Archimedem; aut Zeloſum, Eliam; aut œconomum Eliezerem: confert ad variandam orationem, & copiam materiæ accipit à celebri illo Vago *Status* de quo p. 2. c. 5. n. 96 & Locô Generis, cùm nempe perſonis perſonas, habitibus habitus, & res rebus conferimus, aut ſpecies ſpeciebus, quæ ſub his generibus continentur. Quid ſint, videbis ſupra §. 2. de Genere n. 2. Tandem in quo Comparatio differat à Similitudine, habes ſupra §. 3. n. 8. n. 202.

§. VI.

De Lapidicina Locorum extrinſecorum.

347. *Locorum extrinſecorum*

1. F*ubulus*. Luſtratis Lapidicinis, ex quibus artis beneficiô ſunt eruenda argumenta, venimus ad eas, queis uſurpandis nulla arte, ſed ſolo labore opus eſt. Illas dicimus Locos intrin-

trinſecos, iſtas extrinſecos. Ex illis producuntur argumenta, quæ à re, quam tractandam aſſumis, ſolùm modo concipiendi differunt. Exemplum ſit noſtra theſis.

differentium à Locis intrinſecis

Peccatum eſt horrendum.

Si id probes à definitione, definitum, nempe peccatum eſt idem cum definitione; aut ſi probes à Partitione, Genere, Specie, invenietur peccatum iterum in ſuis partibus, ſub ſuo genere, intra ſuam ſpeciem, & ſolùm id horroris, quod in peccato invenitur, per Partitionem, Genus, Speciem &c. probatur. Aut ſi argumenta non ſint idem cum re, ſunt tamen rei neceſſariò, aut accidentaliter connexa, ut ſi peccati horrorem probes à conjugatis, à ſimili, diſſimili, cauſa &c. Ex Locis extrinſecis econtra poſſunt ea ſolùm argumenta educi, quæ nec ſunt idem cum re, nec neceſſariam cum illa connexionem habent, ſed remotam ſolùm, & extra rem aſſumptam, uti ſi dicto, vel facto viri Sancti horrorem peccati probes, id teſtimonium non invenitur in peccato ceu pars, aut genus, aut Species &c.

 2. Et

248. *Sexduplicium* 2. Et hi Loci sunt sex: Præjudicia, Fama, Tabulæ, Tormenta, Jusjurandum, & Testes. Jam de singulis.

Præjudiciorum Præjudicia dicimus anteriora quædam judicia, quæ ob similitudinem, quam habent cum re, de qua tractas, ad finem tuæ probationis momentum afferre possunt. Atque hinc nil sunt aliud quàm senatusconsulta, seu sententiæ jam ante latæ. e. g. Pœna infamiæ, & exilium l. un. ff. ad l. Jul. de amb. decernitur in eum, qui pecuniâ magistratum nititur comparare. Vis jam hujus argumenti est, quòd ambitiosus è veterum sancitis sit puniendus exilio: ergo ambitio est nociva. Similia senatusconsulta multa suppeditabunt Vagi *Pœna* & *Gratia* de quibus p. 2. c. 5. Velut autem præjudicia confirmantur, roburque recipiunt similitudine causæ, & judicum auctoritate: ita enervantur dissimilitudine, aut si probes actorum negligentiam, personæ damnatæ infirmitatem, Judicésve fuisse corruptos, aut invidiâ, vel ignorantiâ fuisse actos. Præbet hic Locus insignem materiam ad laudandum judicium, si hæc recensita omnia abfuisse à judice, & judiciô contendas. Exemplum sit judicium dic-

tæ

tæ Legis de pœna exilij ambitioſis inflictâ. Atque ea, tam gravis pœna decreta fuit ab iis, in quos reipublicæ amor nullam negligentiam cadere ſinebat, qui nullo aut præmiô corrupti, vel injuriâ irritati &c. Et ſic facilè convinces ambitionem eſſe vitium fœdiſſimum. En amuſſin ex theſi noſtra.

„In Eucliones, in Iſcariotes (ut veteres ſceleratorum cataſtrophes nil „repetam) in quosvis cujusvis ætatis „criminoſos, quorum tu tamen facta „imitaris, ſemper æternæ damnationis ſententia fulminata fuit. Unde „ergo tuis criminibus petes ſuffragium, aut ſupplicio parabis effugium. „Rapieris ad Judicem ſapientiſſimum, „quem nulla latere poteſt culpa: ad „juſtiſſimum, qui nullum nefas impunitum ſinit; ad iratum, qui tibi toties perpercit delinquenti, ſubvenit „labenti, ignovit pœnitenti.

3. Fama ſeu rumor eſt teſtimonium multitudinis, quæ, ſi credulitate non præcipitetur, & dicentium veracitate, aut etiam auctoritate firmetur, vim affert ad probandum: ſi autem his deſtituatur, ad refellendum. 249. *Fama*

Verſatur potiſſimùm circa factum e. g. homicidium. Communi rumore ſpargitur Cajum violentas manus Titio intuliſſe. Huc pertinet communis hominum exiſtimatio, quæ eò erit ad probandum, vel refellendum fortior, quò nititur majori judicio, & ratione. Do imaginem.

„Atque hæc, quæ tibi dico, ubi non, „â quibus non, quando non dicun„tur? Probi in officinis opifices, in „ſcholis magiſtri, in cathedris præco„nes uno propemodum ſenſu non mi„nus, ac ore exaggerant peccantibus „pereundi diſcrimina. Quid dicam „de religioſis clauſtrorum aſcetis? po„tior ipſis hac de re præbetur lo„quendi materies, ac alieno, tuo, ti„bique ſimilium periculô ita contre„miſcunt, ut linguam non ſolùm in „verba, ſed & oculos in lachrymas ſol„vant. Et hæc verba, quem non mo„veant: hæ lachrymæ, quem non e„molliant, cùm vel ſolus illorum fer„vor, & harum copia perpenditur?

250. *Tabularum*

4. Tabulas dicimus illud ſcripturæ genus, quod complectitur leges tum publicas, cum privatas, tam teſtamenta, quàm Chirographa. Tabulis fidem conciliant antiquitas, integri-

tas

tas, probitas auctorum, & conſenſus Legum. Ex his facilè laudabis e. g. Regulam S. Benedicti, cujus leges tam multa ſæcula, tam variæ nationes intemeratas ſervârunt. Nullam ejus partem invenies, quæ non incipientibus ad ſeriam pœnitentiam, proficientibus ad virtutem, perfectis ad charitatem calcar, medium, & incitamentum. Si auctorem requiris, ille eſt, qui anticipata Beatorum prærogativâ Deum ipſum in terris poſitus intueri meruit. Quidquid à priſcis Patribus ad inducendam morum probitatem ſancitum fuit, id omne Sancta B. Benedicti Regula complectitur, illuſtrat, & in animos diſpenſat. E-contra verò ſi velis Tabularum vim extenuare, dic eas antiquitate, integritate, auctoritate & conſenſu Legum deſtitutas. Vis chirographi legitur ex appreſſo ſigno, vel ſigillo.

Pulchram materiam amplificationi aquiris, ſi hæc transferas ad metaphoras e. g. Chriſtus legibus ſuis Divinitatis ſuæ ſigna nõ in cerâ impreſſit, ſed in animis noſtris, in conſcientia. Hujus generis eſt, ſi appellamus ad leges naturæ, dicimúsque hoc, vel illud vitium à natura damnari. Cape dictorum amuſſim.

 „Si

„Si verò te nec hæc verba move-„re, nec emollire lachrymæ possunt, „quid dices miserrime peccator ad tot „leges, ad tot sancita, ad tot senten-„tias Patrum, à quibus damnatur vi-„ta tua? reprobantur mores, & diris „omnibus scelera devoventur? Evol-„ve Sacra Biblia, & invenies tot pro-„pe fulmina in te contorqueri, quot „verba leges. Contra te stant, & „clamant omnia SS. PP. monumen-„ta, queis quò fides, & sanctitas ma-„jor eò tua est sors, & vita deterior, „ac miserabilior.

251. *Quæstionum.* 5. Cùm non sit melior probatio, quàm propria confessio: hinc ista ad illam evincendam quasi ultimum pondus affert. Solemus autem confessionem elicere quæstionibus torturâ reorum quæsitis, ut proin Quæstiones, & tormenta unum Locum usu, & naturâ constituant, sintque nil aliud, quàm veritas ab invitis dolorum acerbitate per legitimum judicem extorta. Sed hoc genus argumenti non est satis firmum, nisi reus post quæstionem rursus interrogatus dicta confirmet. Partim huc, partim ad Tabulas pertinent instrumenta torquendi, omnia genera suppliciorum à majoribus nostris con-sue-

ſuetudine, vel lege ad torquendos, vel puniendos reos inducta. Valent plurimùm ad cujusdam criminis enormitatem exaggerandam, ſi id exquiſita torquendi arte prolicitum, & horrido ſupplicio caſtigatum dicas; cujusmodi ſunt nodoſæ fidiculæ fronti, & temporibus aſtrictæ; taxilli, quibus digiti, cunei, quibus taxillæ comprimuntur; forcipes candentes, ungulæ, equulei, fames, ſitis. Ad ultima ſupplicia pertinent rogus, furca, rota; reũ quadratim diſſecare, ſubmergere, ſuffocare, vivum ſepelire, privare oculis, naribus, proſcribere, in perpetuos carceres abjicere. Ex his ſimili ratione exaggerabis horrorem peccati.

„Nunc objecta crimina vel negas, „vel excuſas; at veniet tempus & ve-„niet brevì, quo nec, quæ excusâſti „palliare; nec quæ commiſiſti nega-„re poteris. Tu, tu ipſemet fatebere, „quàm nefariè in illo loco, illo die, co-„rã illis perſonis, cum illis rebus egeris. „Tua propria conſcientia erit tibi tor-„tor, & tortura; hæc te uret, premet, „conſtringet, ut criminum tuorũ celes „nihil, pandas ſingula, ne vel unum „ſit in te facinus, quod condigno

ſup-

„ſupplicio non percellatur. Audi, ſi „ſurdus non es, in ignitas, & infernales ſartagines actas animas: quid vociferantur, niſi ſuorum immanitatem, multitudinemque ſcelerum. „Paria cùm te ſtringant crimina, paria cur non times ſupplicia?

252. *Jurisjurandi.* 6. Jusjurandum eſt affirmatio, vel negatio, quæ interpoſito Dei nomine, ſeu Deo in Teſtem vocatô inſtituitur. Ea probandi ratio velut omnibus gentibus fuit frequentiſſimo uſui, ſic ſemper ſummæ religioni, ut adeo eum cauteriatæ conſcientiæ cenſeamus, qui Deum in teſtimonium falſi auſerit vocare. Cenſetur itaque Jusjurandum eò fortius argumentum, quò majora de religione jurantis præſumimus: ſicut econtra violati iuramenti, aut perjurii audacia materiam præbent ad elevandã hominis cujusdam improbitatem. Menſuram dictorum fero.

„Sed, quid paria dico tua ſcelera? „cùm ſint longè majora. Conſcientiam tuam convenio. Quoties ſine „ulla Numinis reverẽtiâ, ſupplicii metu, audientiumque obſervantiâ Superos omnes in teſtes vocâſti ſceleribus tuis aut palliandis, aut extenuan-

„nuandis. Illa omni nationi innata „religio, quæ Turcas, & Scythas à „blasphemiis avocare potenter valet, „à tua ſceleſtiſſima lingua non poteſt „impetrare, ne in perjuria, ac blas-„phemas voces effundatur, idque to-„ties, quoties impotenti animo tuo „vel modiciſſima datur anſa iraſcen-„di.

7. Teſtimonium hîc ſumitur pro argumento ex alienis dictis eruto. Eſtque id pro dicentium varietate, & auctoritate varium, firmum, vel infirmum. Hinc aliud teſtimonium dicimus humanum, divinum aliud. Ut humanum valeat, neceſſe eſt, ut teſtes ſint probatæ vitæ, oculati, auriti, alieni à partium ſtudio, & mentis, iræ, præſumptionis, aliorumque impotētium motuum perturbatione. Teſtimonium humanum à cauſa materiali dividitur in civile, & canonicum; illud petimus ad probandas cauſas profanas, hoc verſatur circa mores, virtutes implantandas, & vitia extirpanda. Ad iſta potenter evincenda efficaciſſimum teſtimonium præbet aliqua, aut plures ſententiæ SS. P.P. Teſtimonium quoque divinum â modo eſt duplex, ſcriptum, & traditum.

253 *Teſtimoniorum.*

tum. Ex illo eruimus argumenta, ſi quandam S. Scripturæ ſententiam in rem noſtram afferimus; ex iſto argumentamur, ſi canonicas traditiones, legitimè approbatas revelationes producimus. Huc pertinent oracula, vaticinationes, auſpicia, auguria, Haruſpicia, reſponſa conjectatorum, ſomnia, & omnis reliqua gentilium, & veterũ idola interrogandi ratio. Sed cùm hæc à Chriſto Servatore noſtro ſint penitus abrogata, ſolis jam S. Scripturæ teſtimoniis nitimur, & illis veterum non tam ad probandum, quàm delectandum uti debemus. Colophonem dictis impono iſthâc formulâ.

„In quanta verò pereundi diſcri-„mina iſte te tuus furor (potius di-„cam inſania) pertrahat, dicant tibi, „queis fidem ſine ſumma impudentia „negare non potes, Gregorii, Anſel-„mi, Ruperti (hîc affers ſententias) „ſed longè majori verborum tonitru „fulminat in ſcelera tua Iſaias, qui &c. „Cùm ergo tuæ conſcientiæ, tanto-„rumque virorum teſtimoniis iniqui-„tas tua ſit multis nominibus major, „quam

III ICHNOGRAPHIA TROPORUM. INSERATUR ARTI MEMORIÆ

ante Num. 311.

Tropus — Est verbi à propria significatione in aliam cum virtute, et ornatu translatio. e.g. Campus luxuriatur. Ventus furit. Suntq; duodecim: septem in uno verbô, quinq; autem in oratione consistunt. n. 305. Illi sunt Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Antonomasia, Catachresis, et Metalepsis, ac Hyperbaton; hi sunt Allegoria, Hyperbole et Ironia.

Allegoria — Est continuata plurium verborum Metaphora. Euris rupti horrendum gemunt rudentes, nautas vasto vorat ore pontus, excussis tremendum fulgetris indignatq; æther exitium interminatur. 309.

Antonomasia — Ponit loco nominis proprii nomen sumptum vel à gestis, uti Doctorem gentium pro S. Paulo. 2 vel à loco patriâ etc. ut Romanum sapientem pro Seneca. aut 3 ab excellentiâ in re aut arte singulari, ut Principem Pictorum pro Apelle. aut 4 à Maioribus, parentibus familiis, uti Sanctissimum vel Sanctissimam Aniciadum pro S. S. Benedicto, vel Scholastica. n. 308.

Catachresis — Abutitur verbô simili, et propinquo, locô alicuius certi et proprii. e.g. consilium Longum: parricida pro quovis interfectore etiam matris, aut fratris. Equitare in asino. n. 308.

Hyperbaton — Commutat verborum ordinem, aut 1 perversione, ut mecum tecum: aut 2 traiectione. uti tantas inter turbas; aut 3 divisione, ut: meri flagrante die pro meridie. n. 309.

Hyperbole — Est eminens superiectio. fit 1 agendo, ut: lynce acutius videt; vel 2 minuendo, ut vix ossibus hæret. Semper plus significat hic tropus, ac absolutè verum. n. 310.

Ironia — Aliud sensu, aliud verbis significat, ut si divitem Euclionem dicas pauperem Codrum; aut quendam pygmæum gigantis elogio efferas. n. 310.

Metalepsis — Ab alio velut â causâ, signo ad aliud viam quærendô significat; uti iam fæcunda malus odoriferis flavescit pomis, pro autumno quo poma colliguntur. n. 308.

Metaphora — Nomen à sensu proprio ad improprium abducit cum lepore ob similitudinem. uti ætatis flos pro iuventâ. Ducitur 1 ab animatis ad animata, uti: Nero irrugit. 2 ab inanimatis ad inanimata, uti: fæcunda rubescit morus. Concentu virtutum nihil suavius; 3 ab inanimatis ad animata, uti: S. Bonifacius ubiq; fulget in Germanico horizonte; 4. ab animatis ad inanimata, ut mare furit. Inducta est ob necessitatem ex defectu verbi proprii, ob maiorem vim significandi, et ob ornatum. n. 305.

Metonymia — Unum pro altero ponit, uti 1 causam pro effectis, inventorem pro inventis, uti: legi S. Benedictum pro S. Regula eius; aut 2 effecta pro causis, uti: coronata est invicta patientia: data dies: mœstissimus annus; aut 3 continens pro contento. uti Italia luget, pro Italis; aut 4 possessorem pro possessione. ut Ottomanus tyrannus cæsus est, pro Turcis, aut demum 5 signum pro re signata: vir in toga; sagoq; magnus pro viro domi, militiæq; claro. n. 307.

Onomatopoeia — Fingit nomen sono rei significatæ exprimendo aptum, ut taratantara pro sonitu tympani, canis baubat, pro latrat. n. 308.

Periphrasis — Pluribus verbis explicat, quod unô, aut paucioribus dici potuisset, ut: constanti te semper amore domi, militiæq; complexus sum, pro amavi te semper, et ubiq; n. 309.

Synecdoche — Sumit 1 partem pro toto, ut proram pro navi; 2 totum pro parte, uti: fontémq; ignémq; ferebant, pro aquâ, et carbonibus; 3 unum pro pluribus, ut Hispanus vicit, devictus est Gallus pro Hispanis et Gallis, 4 plures pro uno, ut. Nos Carolus VI. Imp. decernimus, aut si author libri dicat: hæc de re egimus supra pro, egi, 5 speciem pro genere, ut; aquila evasit communem cataclismon pro avibus; 6 genus pro specie, ut: animal S. Corbiniani pro urso, 7 materiam pro re, uti: pinus pro navi; et tandem antecedentia pro consequentibus, ut: vixit, pro mortuus est. n. 306.

In omnibus glorificetur Deus.
S. Bened. Reg. 57. 9.

I ICHNOGRAPHIA CUIUSQ; LOCI RHETORICI

ad n. 253.

Loci intrinseci — Sunt Sedes, seu fodinæ, ex quibus Orator apta ad finem in Propositione intentum argumenta cum selectu depromit. n. 277.

1 Adiuncta — Circumstant rem aut personam probabiliter tantum. Alia sunt antecedentia comitantia et consequentia; 2 alia fortunæ, naturæ, et animæ, 3 in persona pertinent: nomen, vestitum, affectiones, consilia, signa, orationem, sexum, ætatem, nationem, cognationem, patriam, famam, educationem, magistros, famulos. 4. Nota versum: Quis, Quid, Ubi, et cet. Cedes in templo contigit: ergo est nefanda. 177.

2 Annotatio — Inquirit verborum vim, et originem; præbet ornari viam venandi laudem, aut vituperium in nomine, 2 complectitur anagrammata. 3 Splendet in Exordiis. 4 Reiicit verba hybrida. 5 frequentior est Poetis, quàm Oratoribus. e. g. Consul est, qui consulit patriæ. n. 184.

3 Antecedentia — Sunt ea, quæ rem necessariò antecedunt, uti præviæ dispositiones, et requisitæ, ut res extra causas ponatur; cognitò obiecti, antegiani id amet, aut oderit. 2 Sunt duplicis generis: illativæ, et temporis. 3 vagantur per omnes Locos. 4 Ex uno antecedenti multa consequentia inferimus aut econtra. 5 Probant, et ornant. e. g. Malus hæc non floruit; ergo non feret poma. n. 227.

4 Causa materialis — Est id, ex quo aliquid fit, estq; triplex: ex quâ, ut domus, ex lapidibus; in qua, ut subiecta accidentium, intellectus, scientiæ; circa quam, uti adversa, scientiæ; Deus, Theologiæ; Loci, Rhetorices. e. g. Est calix ex auro obrizo: ergo pretiosus. n. 231.

5 formalis — Constituit rem in sua essentia: estq; triplex; essentialis, ut anima hominis; accidentalis, ut color parietis; artificialis, ut forma templi. 2 Præstantiam, et laudes rei sumimus à forma, uti à scientia. 3 tale pronuntiatis subiectum, qualis est eius forma. 4 tales exigit à subiecto effectus, quales exigit forma. e. g. Homo habet animam immortalem, ergo præstans est creatura. n. 234.

6 efficiens — Est principium, à quo effectus proficiscitur: unde est alia moralis; ut poenitentiæ, concionator; et physica, ut pictor, imaginis. 2 Permittit, suadet, capit, creat, efficit, auget. Destruit, educit, cogit, iuvat, impedit, affert. e. g. Apelles pinxit hanc imaginem: ergo est artificiosa. n. 235.

7 finalis — Est bonum propter quod fiunt ea, quæ fiunt: bonum est iucundum honestum, et utile. 2 Qualis est finis, tale est medium: virtus est bona: ergo etiam medium, hoc est virtutis studium, quo illa aquiritur. 3 Spes finis non assulsit: ergo medium à viro prudenti non est adhibitum. 4 Si finem, quæris et medium: et econtra. e. g. Homo ad coelum creatus est: ergo non adhæreat terrenis. n. 238.

8 Comparatio — Est unius cum altero collatio; estq; triplex: maiorum: angelos puniit Deus: ergo puniet etiam homines; minorum: peccatum veniale est horrendum, ergo magis mortale; parium, uti aliqua contemplatur Catum ergo commendabit etiam Milonem. 244.

9 Coniugata — Sunt ea, quæ ex verbis generis eiusdem orta, variè comitantur, uti doctrina, doctus, docere. 2 Quæ uni coniugatorum conveniunt, competunt et alteri. e. g. Doctrina ex meritò æstimatur: ergo et doctus, et ii qui docent. n. 192.

10 Consequentia — Complectuntur proprietates, quæ rem necessariò consequuntur. Sic probam gloria, improbam vitam infamia consequitur: opus merces, noxam poena. 2 Sunt duplicis generis: temporis, et illationis. e. g. Pone gravem culpam commissam: illicò in peccatricem animam omnia mala comigravit. n. 227.

11 Definitio — Explicat naturam rei ex omnibus Locis, idq; vel per negationem, vel affirmationem. Ex Effectis peccatum est infamia humani generis; ex causa: ex damnatorum progenies. 2 Non astringitur legibus Philosophicis. 3 Probat. e. g. Nullum animal avarô truculentius. n. 177.

12 Dissimilitudo — Traducit à re dispari ad disparem rem aliquid dissimile. Peccator, et draco sunt duæ res: dissimile educis, si hunc dicas ab homine non tolerari, illum tolerari à Deo. 2 Attendit affectiones dissimilium. 3 Servit amplificationi, et exaggerationi. e. g. paganum est sectari vanitatem: christianum, consequi virtutem. n. 203.

13 Effecta — Sunt orta à causis. Alia effecta sunt causæ finalis, alia efficientis formalis, et materialis. Præstantiam causæ cognosce ex effectibus, et ex his illius naturam, laudem, damna etc. 3 Serviunt descriptioni, et amplificationi. e. g. En tibi artefactum illustre: ergo artifex fuit eximius. n. 241.

14 Genus — Continet sub se complures species, uti peccatum, superbiam, odium. 2 Genus aliud est personarum, aliud rerum, et aliud habitum. 3 Usurpas, si hypothesin reducis ad thesin. 4 Quod convenit generi, tribuitur etiam speciei. e. g. peccatum quodvis est fœdum: ergo etiam gula. n. 194.

15 Opposita — Oppositorum opposita est ratio. 2 Nota sis oppositorum affectiones. e. g. Christus diligit humilitatem: ergo odit superbiam. n. 206.

16 Contraria — Se non compatiuntur in eodem subiecto, uti amor, et odium. e. g. Petrus amat Paulum: ergo non odit. n. 206.

17 Privantia — Sunt habitus, aut forma, et huius et illius privatio, uti mors, et vita, scientia, et inscitia. e. g. Timet mortem: ergo amat vitam. n. 209.

18 Relativa — Ferunt ipsa, ut unum esse non posset, ut discipulus ad magistrum. e. g. Dux in vincitis hostium cuneos ferrum: ergo miles non debet fugere. n. 210.

19 Contradicentia — Destruunt ea, quæ posita sunt. e. g. Petrus à puerô semper virtutem coluit: ergo non magnorum criminum incusas. n. 211.

20 Partitio — Totum distribuit in suas partes, vel essentiales, ut virtutem in Fidem, Spem, etc. vel integrantes, ut templum in unum, murum etc. 2 Affirmatis omnibus, aut præcipuis partibus affirmatur totum: et econtra iisdem negatis negatur. e. g. Non ver, non æstas, non autumnus, non hyems nos à morte securos præstat: ergo nullum tempus. n. 187.

21 Repugnantia — Etsi Oppositorum more sibi strictè non contrarientur: ita tamen inter se dissidunt, ut simul consistere nequeant. e. g. Petrus odit Paulum. ergo non amat: contraria sunt. Petrus malè loquitur de Paulô: ergo non amat: repugnantia sunt. n. 212.

22 Similitudo — Ducit ex re dissimili ad dissimilem aliquid simile. h. e. qualitatem: Cadaver, et peccatum sunt duæ res, peccatum tamen in qualitate foetoris est simile cadaveri. 2 Nectitur particulis, ut, velut etc. 3 Has non sine ornatu quandoq; omittes. n. 199.

23 Species — Est pars generi subiecta. e. g. fœtet libidine. ergo etiam peccatô. 2 Occupatur ferme in revocanda thesi ad hypothesin. e. g. Peccatum est horrendum: ergo etiam superbia, avaritia etc. 3. Quod dicis de omni specie, dices etiam de genere. 197.

Extrinseci Loci — Sunt sine arte, et argumenta ex illis erutæ non ex visceribus causæ vel rebus ipsis veniunt, sed foris emendicantur ex authoritate dicentium, testantium, fatentiúmve. Sunt eò efficaciores, quò authoritas est maior. n. 247.

1 Fama — Est Testimonium multitudinis: ut si dicas rem se ex communi hominum famâ sic habere. n. 249.

2 Iusiurandum — Est assertio Deô in Testem vocato facta. 2 Sumit vim suam à religione iurantis. 3. Complectitur periurium. n. 252.

3 Præiudicia — Sunt anteriora iudicia; ut si probes idem in simili causâ à sapientissimo ex æquitatis legibus fuisse iam olim iudicatum arbitrô. n. 248.

4 Quæstio — Est confessio tortuâ à reo extorta. 2. Huc pertinent varia torturæ genera. 3 et modus confessionis. n. 251.

5 Tabulæ — Sunt leges, scripta, testamenta, chirographa veterum. 2. Valet plurimum in metaphoris. 3. Probant vehementer. n. 250.

6 Testimonia — Sunt dicta aliorum, pro auctoritate dicentium firma vel infirma ad probandum, aut refellendum. e. g. Christus dixit: ergo est verum. n. 252.

Numeri exemplis subiecti remittunt benevolum
Lectorem ad numeros marginales Artis Memoriæ,
ubi hæc omnia latius deducuntur.

II ICHNOGRAPHIA CUIUSQ; FIGURÆ

ad n. 383.

Figuræ Verborum per Adiectionem — Est oratio à communi usu loquendi decorè discedens: proin figuræ sunt pigmentum orationis. Differunt à Tropis ut genus à specie. Aliæ sunt Verborum, aliæ Sententiarum: illæ fiunt verbis; 1 Adiectione, 2 Detractione, 3 similitudine. 311.

Complexio — Complectitur eodem verbô in principiô Repetitionem, in fine Conversionem. Confert virtus in prosperis modestiam, in adversis constantiam confert. n. 314.

Conduplicatio — Geminat idem, aut plura eiusdem speciei verba. Væ! væ! civitas illa Apoc. 18. e. g. Fit 1 initio: amo, amo te mi Deus! 2 in fine: heu me! heu me! 3 initiô et fine simul: multi per luxum pereunt, per gulam multi. 4 in mediô: ante omnia cura sis animam, animam, cura etc. 5 interiectis aliquibus: viris (quid patris furor?) viris etiamnum? 6 repetitione totius sententiæ. Erat olim virtus omnibus in pretio (quam inimica virtus tempora?) erat olim virtus omnibus in pretiô. n. 315.

Conversio — Orationem sæpius in idem nomen, aut verbum conicit: doletis eversas aras? evertit hæresis. Defletis proscriptam probitatem? proscripsit hæresis. n. 313.

Dissiunctio — Quamlibet orationis partem claudit suo verbô, licet unô tantum opus foret. Probus excelsas cogitationes alit, noxam fugit, Deum diligit. n. 320.

Gradatio — Artificiosè verba per gradus geminat 1 repetendô priora: ut te Christus redimeret, venit de coelis in uterum, ex uterô in stabulum, ex stabulô etc. 2 omittendo priora: beatus, si hæc perpendis; beatior, si imitaris: beatissimus etc. 3 per comparativa, et positiva: clarus est, qui doctrinam; clarior, qui virtutem perpugnat. 4 per emphasin antecedenti verbo vehementius substituendô Ir, curre, propera, vola. 5 per hypotheses: si dæmon tibi opes aufferret, quantum odisses? Si etiam vitam, quantum etc. Quid si etiam animam. 6 per interrogationem concludendo maius per sententiam: virtus est illa gemma. Sed quid gemmam dico? præstantior est gemma. Cui ergo comparem? An coelo? Nequaquam: dicat christus. n. 318.

Polysyntheton — Coniunctiones et, que, iterum, iterum repetit: et amor et furor pro regnis certat. n. 317.

Repetitio — Incipit sæpius ab eodem verbô 1 vel incisa: nihil in vita suave: nihil in morte tutum; 2 vel membra: virtus in pace servat modestiam; virtus in bellô confert robur; 3 vel periodos. testantur id Reges, qui etc. testantur id cives, quibus etc. 312.

Synonymia — Coacervat 1 verba idem denotantia. 2 sensus. 1 morere, peri, eructa animam. 2 Detestare nefas, quo tibi interitum, expia scelus, quô angelis luctum conscivisti. n. 317.

Traductio — Repetitione paululum immutat idem verbum 1 casibus: virtus Christianorum dos est: virtute nihil præstantius: virtuti debes salutem. 2 generibus: veneror acre ingenium tuum, viridem tuam, Deiq; flagrantem amorem tuum. 3 modis: dic numquam tamen satis dixeris 4 temporibus: dixerunt maiores nostri multa. nec nostra ætas minus dicit. plura tamen dicet. n. 316.

Detractionis — Demunt hæ figuræ, quod in communi sermone additur: sunt sex.

Adiunctio — Est Dissiunctioni contraria; fit cum uno verbô plura reguntur membra; sententiæ, vel incisa. Si vox plura regens initiô ponitur, est protozeugma: vicit pudorem libido, timorem audacia etc; si in mediô, est mesozeugma: Deum et probus timeat, et improbus; si in fine, est hypozeugma: nullus dolor à corpore, nullus angor à mente Christi abfuit. n. 321.

Reticentia — Subitò abrumpit verba: obruor dolore. Ah cæci! cur hæc bona. n. 322.

Dissolutio — Ablatis coniunctionibus et, que multa dissolutè producit: coelum, terra, omnia conitrant in peccatorem. n. 320.

Synecdoche — Omittit verbum. quod subaudiri facilè potest: ubi dixit flere omnes, intellige: coeperunt. Similia sunt quid tu cras h. e. facies. n. 322.

Similitudinum — Ornatum suum à vocum varia similitudine repetunt. n. 323.

Anaclasis — Duas sententias discrepantes producit mutuô auxiliô: morere, ut vivas: vive ut moriaris. n. 328.

Antiphrasis — Ponit nomen habens proprietates significationi contrarias, ut si Parcas dicas parcere: bellum minimè bellum. n. 329.

Antitheta — Pensat dictum aptô dictô: nascatur homo: iam incipit mori; crescat annis. decrescit vitâ. 325.

Correctio — Verbum emendat aliô vehementiori: ô scelus! parricidium dicam potius an. etc. 329.

Discriminatio — Monstrat in rebus, quæ similes videri poterant, differentiam: non est sapiens, sed astutus: non liberalis, sed prodigus. n. 329.

Dubitatio — Dubitat de nomine, quo res insignienda. Tantum virum, quo nomine appellem? Alii Apostolum dicunt: ego Solem novum. n. 329.

Paronomasia — Voci vocem iungit sono fere similem, re penitus aliam 1 adiectione: qui sibi non temperat, vitiis obtemperat. 2 detractione: non immoriendum, sed immorandum est litteris. 3 commutatione: Tuum dehinc erit ferre mala, inferre numquam. 4 translatione: amantes sunt ferme amentes. Tua prudentia impudentia est. 323.

Relata — Confert relativa: ducem miles, filius patrem amet. n. 328.

Similiter cadentia — Nomina iisdem casibus, verba iisdem temporibus effert: virtus contemnitur, impietas honoratur: nulla Sacris religio, nullus probitati cultus. n. 324.

desinentia — Periodi partes simili vocum sonô finit: sine virtute nihil prodest scientia, nihil humana gloria: illa inutilis, hæc fictilis est. n. 324.

Sententiarum — Integras sententias ornant, monentq; et si verba mutes. n. 330.

Admonitio — Placidè hominem inducit ad instaurandos mores, admonendô nominis: officii. Consistit in præteritione, et enumeratione. Non hic famæ iacturam profero sed patris vitâ. 380.

Antithesis — Sententiam sententiæ oppositam refert. In pace virtus; in bellô scelus regnat. n. 331.

Apostrophe — Deum, hominem, res omnes. etiam inanimatas compellat: audite coeli. n. 301.

Comminatio — Admonet officii mistis terroribus futuri mali. Erit, erit profectò illud tempus, quô deplorabis tuam socordiam. 381. n. 4.

Commoratio — Unam sententiam eandémq; tamdiu versat mutatis verbis, donec totam velut sub oculos ponat. 37.

Communicatio — Ipsum adversarium consulit: quid tu in hoc rerum articulô faceres. n. 332.

Concessio — Fert, aut concedit aliquid quo ad speciem præsenti loco contrarium ut ex eodem fortius consurgat. Arduo stat vertice virtus. Demus hoc. At ipse labor. n. 333.

Correctio — Sententiam aliâ emendat. Virtus tua in discrimen adducitur. Quid facies? Sed quid quæro, quid facturus sis. Quid feceris, iam obstupescimus. n. 334.

Deiectio — Obiecta diluit non per Oratorem, sed per alium, ut per interpretem testem: Tacebo ego: respondebit Caius, qui vidit; Titius, qui probavit. n. 338.

Deprecatio — Dei, Coelitum, hominúmq; opem implorat: Per tuam te Deus clementiam rogo. 382.

Dialogus — Est ficta personarum collocutio. Quid ad hæc Gregori. Prolatis Divi verbis aut gratias agis, aut respondes. 360.

Diaporesis — Sollicita hominis affectum simulans anxiè quærit, quid agendum etc. sit. Inde se evolvens inexpectatum capit consilium. Quid agam? mendicem? Ibo ad Mariam. 379.

Distributio — Parti cuivis rei distributæ 1 suum verbum. 2 vel substantivum. 3 vel adiectivum. vel 4 adverbium reddit 1 virtus gemma est: rutilat; 2 in adversis servat patientiam; 3 in ærumnis constans est. 4 peritura spernit generosè, cœlestia quærit indefessè. 335.

Ethopoeia — Fingit, quæ ad sistendam personam notam sunt necessaria, eamq; loquentem inducit. Quid ad hæc pater tuus diceret, si videret, an non in hæc erumperet? 354.

Exclamatio — Compellatione rei, personæ dolorem, lætitiam promit: ô diem! ô campi! ô Deus! 380.

Hypotyposis — Rem partium enumeratione ita describit, quasi oculis auribúsq; perciperetur. En tibi in theatrum prodit Agnes. Ex oculis promicat innocentia etc. 346.

Idolopoeia — Loquentem inducit, sed iam vitâ functum. Videor mihi audire Paulum. Adulteri. 355.

Imprecatio — Ad exprimendum odii, indignationis etc affectum diras in cuiusdam caput contorquet. Abi in æternos ignes. n. 382.

Interrogatio — Hac Orator aut 1 se, 2 aut auditores. et absentes, aut etiam 3 inanimata interrogat. 1 Quo me vertam? 2 Quid vos ad hæc? 3 vos patrii enses feretis nefas? 372.

Ironia — Per integras sententias aliud sensu, aliud verbis dicit. Producamus iam stupendam Lutheri temperantiam, Religionem etc. uno sæpe haustu omnia decem præcepta ebibit. O virum religiosissimum. 365.

Licentia — Petit facultatem animum liberioribus verbis explicandi. Vos (grave dictu? dicendum tamen) vos mali pessima causa. 381.

Occupatio — Hac Orator Auditorum contraria verba, sensa etc. amolitur. Dicet forsan aliquis. At hæc tela in auctorem contorqueo. n. 336.

Oppositio — Hac quiescit orator, et contraria refutat dictis, et factis alienis. Nihil hic oppono: meminisse solum iubeo, quid dicturus sit ad hæc pater tuus. n. 337.

Optatio — Vehemens cuiusdam rei desiderium exprimit. Utinam boni parentes. ô si etc. n. 381.

Paraphrasis — Dictum, aut factum alterius apta commentatione in suam sententiam traducit. Hoc facto hoc dictô Christus id ipsum, quod vobis persuasissimum volo, docebat. n. 339.

Præteritio — Profitetur non dicere, quod maximè dicit. Non commemoro noctem illam, in quâ tragœdia illa adornata: non socios, qui etc. n. 340.

Prosopopoeia — Inducit fictam personam loquentem e. g. urbem. Loquatur Roma, Ecclesia. n. 356.

Reiectio — Obiecta declarat indigna refutatione, aut in alium locum reservat. 1 Erubesco his spurcitiis diutius immorari. 2 At servemus hæc loco, et tempori feliciori. n. 338.

Reticentia — Verba subitò abrumpit ad declarandum magnum affectum. Quid me? Dolor absorbet verba.

Subiectio — Hac Orator sibimet respondet. Quid mundum quæris? evanescit. quid opes? non satiant.

Sustentatio — Confirmanda ponit per hypothesin in contrariô, et sequentia in adversarium contorquet. Demus legem non esse necessariam. At quid dices ad minas irati Numinis. 338.

Sustentatio — Suspensum aliquamdiu tenet auditorem, donec totum dicat, et rem intentam. An peccatum dicam monstrum. Est enim etc. An etc. His maius dico. Deicidium est. 376.

„quàm fuerat multorum, quos jam „æternus carcer habet, brevì eris in „ſupplicio ſocius, quos in malo, ni „damnationis ſententiam ſeriâ pœ-„nitentiâ prævertas, imitaris.

8. Tandem ad hos Locos ſpectant exempla, breves hiſtoriæ, quas inductiones vocamus, utpote quæ tanquam agendorum, cavendorúmve normæ adducuntur; emblemata, hieroglyphica, apophthegmata, fabulæ, conſuetudines, mores gentiū, ritus Sacrorum, antiquitates &c. in quibus ſingularem laudem, & uſum merentur noſtri Joannes Mabillonius in Præf. ad quodvis Sæc. Bened. & Edmundus Martene in Comment. Reg. S. P Bened. plura in libro de Antiq. Mon. Rit. Omnium, quæ hoc capite dicta ſunt, compendium oculis in hac tabulâ ſubjicio. Num. I



CA-

CAPUT IV.

De Lapidicinis affectuum, & aliorum ſcribendi generum.

254. *Paſſionum, &*

E*Uſebius.* Utinam ex hiſce Lapidicinis aurum eruere poſſem, quô ampla tua in me beneficia debitâ gratitudine venerer. *Eubulus* Satis tuæ gratitudini, ac meæ induſtriæ litaſti, ſi demonſtratas à me lapidicinas pro aurifodinis uſurpabis. Et profectò ſenties te brevï opulentiorem, quàm ſi auri venas indagares; ac id ſeriò polliceor, ſi ea, quæ hac de re dicenda ſuperſunt animo tuo altùm impreſſeris. *Euſebius* Ergóne alias noſti adhuc lapidicinas ? *Eubulus* novi ac eas oſtenſis licet numerô inferiores, fæcunditate tamen pares, & nonnunquam uſu frequentiores. Antequam tamen nobis ad eas via pateat, ſciendum, Rhetoricam totam, in geminum hunc finem ferri, ut doceat, & moveat. Docet argumentis, movet affectibus. At licet utatur argumentis ad docendum, & affectibus ad movendum; non ita tamen munus docendi affigit argumentis, atque rationem movendi affectibus, ut cùm movet,

vet, respuat argumenta, aut cùm docet, refugiat affectus, sed ad mutua subsidia tam argumenta, quàm affectus accersit. Ut doceas Deum amandum esse, hauries efficax argumentum ex Lapidicina Definitionis, Causæ, Effectorum. Sed non minus firma depromes momenta ex affectu amoris, si nempe singula, quibus amor conciliatur, in Deo inveniri graphicè probaveris. Atque sic eodem conatu simul movendi, & docendi provinciam explebis. Cùm autem tam Locorum, quàm affectuum Lapidicinæ sint generales, & cuique fabricando Rhetorices operi communes, indagandæ sunt aliæ, quæ cuivis scribendi generi materiem præbeant singularem. Invenies quidem in variis Locorum, & affectuum fodinis aptam materiem. e. g. ad condendam orationem funebrem; sed tam illi, quàm isti plurimùm ditabuntur, si noveris fontes singularibus argumentis, & ad funebria quasi natis refertos. Jam utriusque generis Lapidicinas tibi aperire aggredior.

generum scribendi



§. I.

Aperiuntur Lapidicinæ affectuum in genere.

255. Passionum

1. PAſſionem, ſeu affectum dicimus, motum animi ex apprehenſione boni, vel mali exortum. Jam velut corpus quinque ſenſibus, ita mens duobus ſuis appetitibus ſua munia obit. In malum fertur appetitu iraſcibili, in bonum concupiſcibili. Ac proin tot motus animi debemus aſſignare cuivis appetitui, quot modis iraſcibilis in malum, & concupiſcibilis tendit in bonum. Pone bonum in genere, ac confeſtim exſurgit *amor*; ſi illud eſt abſens, ſuccedit *deſiderium*; ſi præſens, *gaudium*. Apprehendat jam ſenſus aliquod malum, & illico in appetitu concitabitur *odium*. Quòd ſi hoc malum ſit abſens, id deteſtamur, & inde venit *fuga*. Si præſens eſt, mens contrahitur dolore, ex quo naſcitur *triſtitia*. Econtra verò ſi appetitui iraſcibili negotium eſt cum malo, ac illud eſt præſens, ſuccenditur *ira*; ſi abſens, *timor*; ſi poteſt removeri, *ſpes*; ſi non poteſt *deſperatio*; ſi arduis tandem mediis ſuperari valet

appetitus concupiſcibilis

iraſcibilis

valet, *audacia*. Ex his aliqui affectus ſunt ordinati ad bonum, dicuntque motum ad quem, ut *amor deſiderium, ſpes*, deſperatio; alij retrahunt à malo, & dicunt motum à quo, ut *odium, fuga, timor, audacia, ira*; alij denique dicunt ſtatum in aliquo; ſi in bono, naſcitur *gaudium*; ſi in malo, excitatur *triſtitia*. His motibus adjungit orator alios motus, & quidem ad amorem, commiſerationis; ad iram, indignationis; ad odium, invidiæ; ad gaudium, admirationis; ad timorem, pudoris; ad ſpem, æmulationis affectum. His præmiſſis ex Lapidicina affectuum in genere materiam dicendi educes ſequentibus modis, *generis triplicis*

2. Ac quidem 1. ſi dicas rem quampiam ſubitò contra exſpectationem magnâ inſolentiâ eveniſſe; ſi res illa bona, gaudium; ſi mala, ira, & triſtitia exſurgit. 2. affer externam hominis formam, & oris habitum. Si dixeris illam roſeam, hunc modeſtum, amorem; ſi miſerabilem, triſtitiam concitabis. 3. ab habitu corporis, i ad formam mentis, & indaga virtutes, & vitia, hæc invidiam, & odium, illæ excitabunt amorem, & comiſerationem, 256. *methodo tali*

 præ-

præcipuè, si vitiis deditum videris faustâ fortunâ utentem, superbum &c. econtra probum ærumnis obrutum, bonis quibusque ad majora bona utentem: utrumque augent adjuncta loci, temporis, personarum, ætatis, conjunctionis à sanguine, qualis est in libris, affinibus &c. à studiis, qualis est in amicis. 4. magnitudo in rebus & in factis, aut in utroque raritas concitant varios motus, uti factum nostrâ ætate non auditum, aut si horridum incendium describas. 5. finis cujusdam facti patrati si bonus, amorem; si malus, odium &c. excitat: debétque is in singularibus factis indagari, per figuram Sustentationis, & Hypothyposin exornari. 6. Similitudinibus par vis est, si eum, cui concilias amorem e. g. iis rebus compares, quæ amantur, æstimantur, ac magno studio quæruntur. Sic virtutis desideria facilè suscitabis, si afferas per similitudinem voluntatis humanæ desideria, dicasque omnibus his, quæ desiderari possunt, virtutem similem, æquè præstantem. 7. conspiratio voluntatum eas passiones excitare solet, quali ferimur in ipsas voluntates e. g. odi-

odimus eos, qui in malo; amamus, qui in bono conſpirant, eoque magis, quò conſpiratio major, voluntas pejor aut melior. 8. Mutatio rerum inducta valet ad armandos omnes animi motus, uti ſi dicas hanc præſentem miſeriam aſcribendam hujus ſocordiæ, aut præſentem fortunam hujus hominis vigilantiæ: magis concitantur ſi præſentis, & præteritæ fortunæ imaginem ob oculos ponas, & ſi mala eſt, majorum malorum metum per aptas cauſas; ſi bona, majorum bonorum ſpem per facilia, & expedita media examplifices. 9. tandem variæ paſſiones in aciem prodeunt, ſi producas cujusdam facinoris adjuncta de quibus ſupra. c. 3. §. 4. Velut ſi dicas facinus patratum à puero in viris memorandum; in loco publico, anguſto &c inſtrumentis inſolitis, & ad talem finem inſuetis; tempore contra omnem exſpectationem, & occaſionem arrepto; ex conſilio inexſpectato. Ex hoc locô graphicè deſcripſeris facinus Davidis gigantem illum 1. Reg. 17. perimentis, & in audientibus admirationem concitaveris. Sed jam ſingulas affectuum fodinas adeamus,

& in singulis tria discutiamus, quid sint, quommodo ex iis materiam producamus, & productam usurpemus, & hæc omnia sub suis numeris initio appositis.

§. II.

Lustrantur Lapidicinæ Amoris, Desiderij, & Gaudij.

257. *Amoris: ex* I. Eusebius. Quid igitur est amor? *Eubulus* est motus animi, quo alicui omnia, quæ bona censentur, affectu precamur, & quantum licet, opere procuramus. Si jam velimus concitare amorem in Christum, sequentia puncta observabimus. Quod autem de Christo, & in singulis affectibus de adducto exemplo dicimus, extendes mutatis juxta prudentiæ leges mutandis ad alias personas, vel facta.

parte amati quoad corpus. II. Cùm amor solis bonis nutriatur probabis, quàm bonus sit Christus, & quidem in bonis corporis. Est regio exortus stemate, Maiorumque gloriâ illustrissimo; est pulcherrimus; divina mens relucet in externo corporis habitu. Est nobilissimæ complexionis; vires corporis celsissimæ menti pares, & ad magnos labores, & cruciatus pro suis amicis longè maximæ. Licebit dein digredi ad singula membra per Partitionem. In

In Christo invenitur 1. omnis sanctitas. Adi, quæ supra §. 5. n. 2. de causa materiali *in qua* dicta sunt. 2 amorem suum arduis rebus, morte ipsa nobis probavit. 3. nostram similitudinem assumpsit. 4. constanter nostrum bonum quæsiit. 5. fideliter nobis assistit. 6. bona sua nobis communicare non desivit: digredere ad SS. Eucharistiam. 7. virtutes omnes nos docuit. 8. ærumnas nostras tulit ex amore. 9. Nullum discrimen nostri causâ non subiit. 10. libenter conversatur cum bonis. 11. Neminem à se repellit. 12. Injuriæ statim obliviscitur. 13. multitudo amantium est magna, eáque omni virtute insignis, præstitítque multa imitatione dignissima: 14. amat amicos meos, & odit, & persequitur inimicos meos. 15. omnes virtutes excitant amorem, potissimùm tamen castitas, humilitas, humanitas, gratitudo, prudentia, justitia, pietas, & liberalitas. *animum;*

Si amantem contueris, invenies 1. beneficiis Christi eum evasisse magnum amabilem &c. 2. ea beneficia esse perpetua. 3. hausisse ex singulis obsequiis magna lucra. 4. superâsse magna discrimina. 5. Si proin amori non respon- *amantis quoad accepta.*

deret amans, convinceretur magnæ ingratitudinis. 6. quam infelices essemus sine Christi beneficiis!

accipienda, Si ad futura nos extendimus, Christus est 1. fidelissimus: in omni necessitate nobis assistet. 2. Est opulentissimus: ditabit nos, 3. Est constantissimus: nulla eum vicissitudo à nobis avertet. 4. Est fortissimus: contra quosvis hostes nos defendet. Valet hæc ratio ad motum vehementer, si à præteritis beneficiis in indignos collatis argumentū capimus futurorum, aut testes magni nominis adducimus, idque potissimùm in epilogo.

usu octono III. Quod jam ad usum attinet, amor 1. agnitâ amati bonitate gaudet, & gratulatur bona per Apostrophen tam ad amatum, quàm socios amoris. 2. dolet, lachrymatur, arripit voluntaria supplicia, petit ab igne flam̄as ad amandum, à sole velocitatem ad currendum. Per Apostrophen, Prosopopœjam exaggerat temporis jacturam amori non impensi. 3. offert se ad magna pro amato facinora, se exspoliat, amplexatur paupertatem, famem, sitim, mortem. 4. expostulat cum corde suo, exprobrat amandi pristinam socordiam. 5. mutuat ab animatis, & inanimatis amandi sub-

ſubſidia. 6. ſancit amandi leges, quales ſunt. Semper imitabor Chriſtum, ſemper in mente geram, comitabor in omnia pericula, amore ejus omnia prodigam, nuntiabo gentibus ut Paulus, laudabo ut Stephanus, eligam pro amato exilium, ſervitutem, irriſiones, incommoda quæque. 7. amor eſt perpetuò amati memoriâ, ſtudioque occupatus, amati abſentiam dolentiſſimè fert, fortiſſimè amolitur amato contraria, & amorem impedientia, ſuſpicatur, audet, loquitur, obmuteſcit, timet, vigilat, & confidit. 8. tandem ingeniosè, quæ amato grata ſunt, excogitat, & quæ ingrata, perſequitur: ad illa mira inſtrumenta, ad iſta inſolita aſſumit arma, ut patet in Chriſto genus humanū redimente.

I. Velut mens in bonum præſens amore, ita in abſens fertur diſideriô, ac quidem eò intenſiori, quò bonum eſt majus, & media illud aſſequendi expeditiora. Duobus igitur veluti alis ſubvolat hic perniciſſimus affectus, magnitudine bonorum, & aptitudine mediorum: ſed illa cognita ſint neceſſe eſt, hæc efficacia ad potiundum deſideratis. Exemplum ſit hæc theſis. *Deſidero amare Mariam.* *258, Deſiderij.*

magnitudine bonorum honestorum.

II. Nam imprimis cognoſco in amore Mariano grandia bona præſertim ab Effectis n. 241 promiſſis divinis: Eſt 1. honeſtiſſimus: parit omnes virtutes in hac, & gloriam magnã in altera vita. 2. Eſt utiliſſimus: ubique cultores parthenii magnam merentur laudem, imitationem &c. Maria eſt maximum poſt Deum bonum. Bona ſua ſuis clientibus communicat. Cultus parthenius eſt omnibus incenſiſſimo deſiderio. Deſiderium hoc nunquam eſt præmio vacuum. 3. Eſt jucundiſſimus; perfundit animũ tenera voluptate, partim, cùm mentem munit contra vera mala; partim cùm aptat ad recipienda vera bona: in vitâ præſtat copiã merẽdi, in extremis ſecuritatem moriendi. Voluptas hæc non ſolùm eſt illimis à vitio, ſed & præterea eſt cognata omnibus virtutibus, ad quas etiam invitos allicit. Cùm aliis luctandum erit cum inopia, metu, cæteriſque malis, nobis copia in bonis & ſecuritas in malis fortiter perſiſtet.

utilium, &

jucundorum.

aptitudine mediorum

Jam media verò ſunt facilia, aut ſi difficilia, in ipſâ ſui arduitate magna lucra repoſita habent. Sunt multa, & ab iis aſſumpta, quos aut à doctrina, aut probitate magni æſtimamus.

Sunt

Sunt apta in omnes temporum, locorum, bonorum, malorumque vicissitudines. Offeruntur ab amicis, Sanctis, angelis, & Deo ipso. Docentur in libris, suppeditantur in historiis. Res obviæ nonnunquam juvant desiderium, ut desideratis potiamur.

III. Ut vim desiderii deducas in usum, capies sequentia. *usu novennario* 1. Desiderium interdiu cogitat de re desiderata, noctu de illa somniat, ac graphicè omnibus coloribus indutam sibi exhibet. 2. Gaudet, si magnitudinem boni; anxiatur, si ejusdem absentiam intuetur. 3. Frequentes instituit sermones de re desiderata inter amicos. 4. Nunc sibi gratulatur de re ceu jam aquisita; nunc tristatur ob difficultates aquirēdi, & desiderans accusat se socordiæ, media autem hebetudinis. 5. Nunc secum, nunc cum aliis, etiam inanimatis colloquitur, ex absentia dilecti in querelas erumpit. 6. Moræ impatiens fastidit alia bona, suspirat, æstuat. 7. Opem emendicat, nunc cœlum interpellans, nunc terram; nunc rupes, nunc montes &c. 8. Rebus quibusque obviis sibi dilectum repræsentat, pulchrum in pulchris, ut rosis, astris; pretiosum in pretiosis

ut

ut auro gemmis; ſuavem in ſuavibus, ut in cantu philomelæ &c. 9. Tandem dilecti mores imitatur in inceſſu, in loquela &c. ceu jam præſentem alloquitur, colit, & oſculatur.

259. *Gaudii* I. Ut primùm re deſiderata potiti ſumus, exſurgit in animo noſtro ex opinione recenti boni præſentis quædam voluptas , quam dicimus gaudium, ídque eò ſyncerius, & majus, quò bonum eſt præſtantius, & pulchrius. Unde hoc loco excludendum eſt gaudium ex illicita voluptate natum , ſed loquimur de eo, quod à vero bono, & chriſtianum hominem decente concitatum fuerat. Ad hoc ergo ſuſcitandum præteritæ ſortis ſtatum, & præſentis felicitatis magnitudinem extolle. Exemplum eſto hæc theſis. *Gaudeo de prærogativis S. P. Benedicti.*

ſtatu præterito II. Ante natum S. Patrem luctabatur orbis occidentalis ferme omnis cum idololatriâ, inſcitiâ ; virtus exulabat. 2. Tollendis his malis nullum apparebat medium. 3. Laboranti orbi ſubmiſit Deus inſperatam medicinam S. Benedictum, & conditam ab ipſo Religionem.

præſenti Collatis præteritis calamitatibus cum præſenti felicitate digredere ad

præ-

præſentem S. Patris ſtatum, ac in ejus bonis indaga, novitatem, raritatem, amœnitatem, & admirationis cauſas. 2. Exhibe, quàm hæc ipſa gaudii materia ſit conjuncta Dei beneplacito, bono communi, ac quàm ſit cognata virtutibus præcipuè his, & iſtis genere ſuo tam præſtantibus. 3. Affer bonorum præſentium naturam, ut quòd ſint nulli viciſſitudini ſubjecta, ſed perpetua; quod æquis rerum æſtimatoribus ſemper viſa ſint magna, ac publicis aggratulationum plauſibus celebrata; quòd ſint magnis malis oppoſita, & multis hominibus utilia; quòd eos, qui venire volunt in gaudii ſocietatem, faciant bonos, felices, & calcar addant ad profectum in doctrinæ, virtutisque ſtudio; quòd imaginem referant eorum bonorum, quæ in omni regno, & natione ſemper magno gaudio excepta ſunt, uti triumphi poſt horridum bellum, adventus amicorum poſt longum exilium, magni honores poſt magnum contemptum. Ex his vides tibi ingentem dicendi campum ad concitandam lætitiam aperiri, ſi velis gloriam Chriſti reſurgentis, aut Deiparæ aſſumptæ feſtos applauſus, aut Cœlitum S. P. Bene-

dicto

dicto aggratulantium feſtivam cæremoniam deſcribere, tum potiſſimùm, ſi licuerit ab adjunctis temporis ſubſidia dicendi mutuare, uti à Paſchate, Feſto aſſumptionis, Feſtis S. Benedicti 21. Martij, 11. Julij, 13. Novembris, & aliàs. Idem judicium eſto de loco, in quo; de perſonis, à quibus; de fine, ob quem publicæ lætitiæ feſtum inſtituitur.

uſu ſeptennario

III. Lætitia ſe in applauſus effundit, & tripudia per figuras præſtantiſſimas, Hypotypoſes, Proſopopœias, Apoſtrophes, Interrogationes, Subjectiones. 2. Ut reſolvit linguam in laudes, ita manus in munera, ac offert ſerta, corda, currus triumphales. 3. Deſideria nova concipit, & vota, ac ad nova bona pertingendi Spem mirificè extollit. 4. Effunditur in lachrymas, in varios affectus amoris. 5. Metum periculorum amolitur, ac præſentis boni ſecuritatem deſcribit. 6. hoſtium, qui bonum vellent tollere, ligat vires; & amicorum, qui velint, & poſſint conſervare, poteſtatem exaltat. 5. His adde, quæ diximus c. 3. §. 5. n. 6. de cauſa finali, à qua ſuccendendo gaudio magni calores ſug-

ſuggeruntur; uti ſi dicas applauſum adornari ex fine illuſtri, veluti affectu filiali, debitæ gratitudinis, amoris &c.

§. III.

Adeuntur Lapidicinæ Odii, Fugæ, & Triſtitiæ.

I. Quemadmodum animus tendit in bonum præſens amore, illudque amplectitur; ita odiô fertur in malum præſens, illudque deteſtatur, ac id eò magis, quò malum cognoſcitur eſſe nocentius. Unde ſiquis cupiat hunc animi motum concitare, multus in eo eſſe debet, ut magnitudinem mali ſuis coloribus graviter repræſentet. Exemplum ſit è Spiritu S. Bernardi deſumpta propoſitio. *Furcas non debemus ferre in Palæſtina.* Ut hanc, ſimilesque theſes ad inflammandum odium efficaciter deducas, debes mala bifariam dividere, uti in allato exemplo in ea, quibus Turcæ ſcatent, & in ea, quæ ab ipſis patimur. Prima mala conſtituunt hoſtis malitiam, altera noſtram jacturam.

260. Odii per

II. Turcæ itaque 1. laborant omnibus vitiis, quæ quiſq; virtutis æquus cultor non

conſiderationem malitiæ alienæ.

non poteſt non deteſtari, uti libidine, audacia, ſuperbia, & impudentia. Quid dicamus de infidelitate, qua Dei verô cultu alieni deſciſcunt in varias ſuperſtitiones. 2. Deſtituti ſunt omni vera virtute, ſine qua tamen homo nec humanam vitam vivere poteſt.

jactura propria ex

Et hi ipſi in ſe tam teteſtabiles in exitium noſtrum conjurant. 1. Mala ab ipſis patimur graviſſima: inſident regnis, urbibus Chriſti vitâ, & labore ſacratis. 2. Contemnunt rem chriſtianam. 3. Crudelitate ſummâ feruntur in Chriſti cultores. 4. Affingunt nobis per calumniam, & ſummum nefas graviſſima crimina. 5. Amant inimicos, & perſequuntur amicos noſtros. 6. Leges magnâ multis annis religione cultas reſcindunt, violant.

malis præſentibus, & futuris.

Atque hæc ipſa mala ſunt iterum duplicis generis: præſentia, & futura; ac licet in hæc affectus odii ex natura ſua non tendat, vehementer concitatur, ſi ex magnitudine præſentium malorum ominari poſſumus futura longè majora. Uti 1. armis, potentiáque ſuâ hactenus in exitium noſtrum tam graviter incumbente ſemper utentur ad majora mala noſtra.

2. nul-

2. nullis beneficiis possunt mitigari. 3. libidine regnandi efferatissimi, spe jam omnem Europam, Hungariam, Germaniam, Italiam devorârunt. 4. nova semper arma cudent, quæ in colla orthodoxæ gentis stringent: hoc punctum graphicè poteris efferre, si afferas eorum leges, quid sanciant contra nos in curiis, moliantur in officinis, terrâ, marique aggrediantur.

III. Usus hujus affectus est vehemens, & frequens potissimùm dicenti de gravitate peccati; Passione Christi, & universim in genere judiciali versanti. Tum enim verò instituat 1. graphicam inter læsos, & lædentes comparationem, horum impudentiam, & illorum innocentiam exaggerando 2. in lædentes invehetur per Apostrophen, damnabit per Exclamationem, locum facinoris animabit per Prosopopœjam. 3. Lædentibus imprecabitur grandia mala, lachrymis, precibus talionem à Superis petet. Hîc tamen opus acri judicio, ne in leges prudentiæ pecces. 4. Lædentibus minabitur vindictam, ac subsidia ad eandem accelerandam, exacuendam, sæpiúsque repetendam explicabit. Valet plurimùm, si vindictam à

usu sextum

magnis virtutibus ſuaderi dicet, ac lege publica inculcari. 5. hæc ipſa, aut majora ſupplicia in ſimile facinus ſancita probabit. 6. tandem figurata malorum deſcriptione præſentem miſeriam ob oculos ponet factâ nonnunquam per vehementem quandam figuram præteritæ felicitatis mentione.

261. *Fuga*

I. Uti mens noſtra in bonis præſentibus per Amorem quieſcit, & per Gaudium in illis tripudiat; ita per Odium mala præſentia execratur, & ab ipſis per Fugam recedit. Hic autem receſſus pro varietate mali varia ſuſcitat in animo conſilia vindictæ iræ, odij, & inimicitiæ. Ac proin ut ſuſcitetur Fuga, haud aliis facibus opus eſt, quàm quibus iram, odium, deſideriúmve concitamus. Exemplum ſit hæc gnome. *Declina à malo.*

repræſentatione mali

II. Peccatum 1. eſt grande malum. 2. eſt pejus omnibus iis, quæ fugimus, morbis, leprâ, infamiâ, cauterio: morte, rotis &c. 3. Eſt malum multorum malorum cauſa; quorum? 4. animus peccatis fædatus per moras fit pejor. 5. in peccata præcipitamur à dæmone, natura, mala voluntate, maximis hoſtibus noſtris, in

quos

quos vindicta non solùm licita, sed præcepta est. 6. studium fugiendi peccata est tum necessitate, cùm utilitate inter præcipuas Christiani curas collocandum.

III. Ut materia, ita usus Fugæ cognatus est aliis animi motibus. Tractatur, si 1. mali magnitudinem per Hypotyposin efferas. 2. si concites spem devincendi malum. 3. Si increpes socordiam hærentium in malo. *usu trino.*

I. Cùm intellectu conspicimus magnitudinem majorum, exsurgunt in appetitu varij motus animi; si prosilit mens ad vindictam, dicitur ille motus ira; si ad execrationem, dicitur odium, si ad media propulsandi malum, Fuga. At verò cùm animum malis seria consideratione affigimus nihil cogitantes de fugâ, aut vindictâ, exsurgit dolor, seu Tristitia, cui animum velut vortici submergimus, ut sic audientibus magnitudinem mali pro rei indignitate subjiciamus. Periculum facio tibi in hac propositione. *Incuria salutis est res luctuosissima.* videtur equidē primò obtutu sterilis, sed si dividamus mala, quæ homines hâc incuriâ subeunt, & bona, quæ amittunt, amplissimum dicendi campū aperimus. *262. Tristitia*

 II. Hæc

magnitudine malorum inductorum

II. Hæc namque injuria inducit oblivionem Dei, & legum divinarum. 2. ex oblivione emergunt gravissima scelera. 3. ex sceleribus prodeunt calamitates publicæ, fames, bellum, pestis. 4. Myriades hominum abripiuntur in somno suæ socordiæ ad æternas flammas. 5. incuriæ ascribe horridam quamque catastrophen, quam nunc obscenus amor, libido vindictæ, ambitio in orbis hujus theatro quotidie exhibet, qualis est amicorum violenta mors, vincula, cædes horridæ, translationes regnorum, hominum cum dæmone comercia per summum nefas proprio sanquine inita. 6. scandala horrenda innocentium.

vilitate mala inducentiũ,

Discussis malis descende ad causas malorum, uti 1. quàm illæ sint viles, multæ, in malo induratæ, contra jus, & fas quàmdiu jam pugnârint. 2. in lædentibus considera improbam, & ad nocendum paratam voluntatem, scelestissima consilia, socios, & arma. 3. surgit in nobis tristitia, si inimici in nos impunè audent insurgere, & quidem bonis nostris in nostrum malum conversis; aut si nos rident in malis nostris, vel majora imprecan-

tur,

tur, ſi inferre nequeunt, mala; aut ſi poſſunt, vias nocendi quæritant. 4. Omnium maximè hóſtes noſtri excitant dolorem animi, ſi eosdem non ſolùm noſtri, ſed omnis honeſtatis videmus inimiciſſimos, nec tamen apparet ullum remedium, quô noſtram, & virtutis injuriam vindicemus.

III. Varium, & pro varietate materiæ vehementem uſum ſortitur hæc paſſio. 1. Erumpit in querelas. 2. defixo in magnitudinem malorum obtutu ſilet. 3. nunc mala per hypotypoſin effert, nunc malorum cauſis iraſcitur. 4. exclamat, gemit, lanquet, ſe ab arbitris ſubducit, & ſolitudinem quærit. 5. mentem convertit ad præteritam felicitatem per Proſopopœjam, & Apoſtrophen; inde contorquet in præſentem fortunam per Antitheſin, ac tandem per Apoſiopeſin abrumpit verba, petit lachrymas, ſilet parumper, donec obverſantis mali imago protrudat alios gemitus. 6. teſtatur triſtis nunc parietes, nunc abſentes alloquens nullam jam felicitatem ſibi reſiduam, cùm ſentiat ſibi jam ipſa bona nulli ſolatio, ſed ſoli tœdio eſſe. 7. tandem vitæ pertæſus invi- *uſu ſeptenо,*

tat mortem, valedicit luci, præ tœdio indormit, in ſomno loquitur obverſante præſentiũ malorum imagine.

§. IV.

Reſerantur Lapidicinæ Iræ, Timoris, & Spei.

265. Iræ à —

I. VElociter non minus, ac vehementer mens noſtra fertur in eos, à quibus nos videmus contemni. Si eos ſcimus potentes, & ad majora mala inferenda paratos, ſurgit timor; ſi autem ij ſunt tales, quorum nullam nobis rationem habendam eſſe arbitremur, concitatur, quam jam tractandam ſumimus, Ira; eſtque motus animi ſurgentis ad ultionem ex opinione contemptûs noſtri, aut noſtrorum. Unde cùm ſit Odio cognata Ira, iisdem fermè hæc, quibus illud flatibus, & motivis ſuccenditur. Id videbis in hac theſi. ***Deus meritò iraſcitur peccatoribus.*** Qua in re ſemper tria perpendenda veniunt, vilitas contemnentis, magnitudo contempti, & ipſa contemptûs ratio.

vilitate contemnentis

II. Quoad primum itaque peccator eſt viliſſimus, & nihil coram Deo. 2. meritus

meritus eſt pridem graviſſimè puniri 3. medicinâ Dei ad malitiam, & impunitate ad præſumptionem abuſus eſt. 4. ex ſtirpe maledicta prognatus eſt, infamiâ peccatorum actualium, & cauteriô originalis notatus, in exilium proſcriptus.

Quoad ſecundum: Deus 1. digniſſimus eſt omni cultu, ac ad eum movere debuiſſent Angeli, Sancti, qui coram divina majeſtate contremiſcunt. 2. Deus potuiſſet pridem punire ex juſtitia, voluit tamen parcere ex miſericordia. 3. Eſt digniſſimus omni cultu. *bonitate contempti*

Quoad tertium: Peccator 1. contemnit Deum, Deique legem ob leviſſimam voluptatem, eámque fædam, graviter prohibitam, nemini permiſſam. 2. Magna Dei beneficia ingratiſſimo animo ſuſcipit, & nullâ memoriâ excolit. 3. ſe aſſociat hoſtibus Dei, eorúmque audit conſilia. 4. Levia Deo negat obſequia; aut ſi præſtat, decurtat. 5. fraudulenter agit, & ipſa bona, ſolique Deo debita opera detorquet in faſtum ſuum. 6. piis (ſi non Dei) Deo tamen ſervien- *gravitate ipſius contemptûs*

tium conatibus ſe opponit aut maledictis, aut contrariis exemplis. 7. depravatâ vitæ ratione gaudium concitat hoſtibus Dei. 8. ipſa Dei dona in divinæ majeſtatis contemptum vertit. 9. Leviora crimina ſæpiſſimè majori ſupplicio mulctata ſunt.

III. In tractatione autem hujus motûs attende, & deſcribe irati ardentes oculos. 2. exaggera ulciſcendi cupiditatem, infligendi ſupplicij facultatem, & impotentis animi ferocitatem. 3. Nonnunquam iratus palàm fingit pacem, clam indignatur, & vias diſquirit vindictæ. 4. terret minis inimicum & velut in præſentem invehitur probris, maledictis. 5. quandoque exultat de vindictâ, quandoque magnitudinem contemptûs magna loquacitate nullis certis loquendi legibus ſe coarctari ſinens deſcribit. 6. contemnit ab Ennumeratione partium contemnentem, materia ſumpta ab ejus deformitate corporis, & mentis. 7. antequam iratus inferat pœnam, contemnenti maledictis imprecatur 8. ſi ſe deſtitutum poteſtate ulciſcendi videat, agitur in furias, & nonnun-

nunquam pro varietate perſonarum aut cœlos, aut inferos ad vindictam evocat, compellat inanima, velut ſua arma; nunc animata, ut vicinos, amicos; nunc ſe, variis epithetis; nunc partem ſui, ut dexteram, cor, pedes. 9. ſibi mortem molitur, ac pugionem, reſtimve parat; ſed promicante ſpe ultionis reſpirat, de novo tempus, modum, arma, ſocios ad accelerandam vindictam exquirit. 10. gaudet inventâ ulciſcendi viâ, & perfidè abſcondit ultionis conſilia. 11. Vigilat noctu inſomnis, interdiu ſe ad laborem animat nunc repræſentandô injuriam, nunc dulcedinem vindictæ.

I. Ea eſt humanæ mentis indoles, ut in bono præſenti per amorem conquieſcat, illudque dulcibus quaſi melliti affectûs brachiis circumplectatur. Cùm itaque periculum conſciſcitur id tale bonum amittendi, ſentimus nobis animum percelli ex opinione mali impendentis. Et hæc perculſio dicitur Timor ſoletque eò eſſe vehementior, quò periculi imminentis, boni amittendi, 264. *Timoris*

& mali perferendi ratio eſt major. His tribus viis facilè materiam convehes ad conſtruendam hanc & ſimiles theſes. ***Peccator timeat infernum.***

magnitudine periculi.

II. Magnitudo periculi effertur 1. ſi illud dicas eſſe vicinum. 2. præſignatum portentis, prodigiis, certiſque prænuntiis, veluti ſunt effata SS. Patrum. 3. ſi dicas experientiâ myriadum hominum id periculum ſemper habitum permagnum. 4. ſi dicas imminentis mali jam prævolâſſe quosdam prodromos, uti in theſi eſt mala conſcientia; ſeriò, incaſsùm tamen inculcata emendatio. 5. ſi afferas eorum, qui timendi ſunt, fræni omnis impatientem improbitatem, uti in theſi dæmonis aſtus, & in exitium peccatoris conjuratam malitiam: timemus armatam improbitatem, & elatum furorem, quæ omnia in dæmone ſupremum gradum obtinent. 6. Deus iratus injuriam dignam inferno diſſimulat, & quò ſeriùs, eò graviùs ferit. 7. Peccator eorum eſt convictus à Deo, & propria conſcientia ſcelerum, quæ ſemper æternis flammis

flammis punita ſunt. 8. Peccator ſæpius igne infernali plectenda commiſit, & hactenus parcitum fuit. 9. Peccator in Deum, in virtutem, in legem, rationem deliquit, ac quidem modis variis, & indigniſſimis. 10. orbis univerſus ſtat ad nutum ultoris Dei paratus, & armatus ad vindictam peccatoris.

boni amittendi

Magnitudo boni amittendi effertur, ſi dicas, quòd peccator amittat magna, pretioſa, pulchra, veluti cœlum, gratiam, animam. 2. in bono debet conſiderari honeſtas, utilitas, & voluptas. 3. perpendenda eſt exiſtimatio, quam æqui rerum arbitri de bono magnificè concipiunt,

mali perferendi

Magnitudo tandem mali, quod peccator æterna damnatione incurrit, effertur tribus. Mala alia ſunt, quæ cladem & perniciem afferunt, veluti atrox bellum, horrida fames, funeſta peſtis. Alia ſunt, quæ vitam quidem non auferunt, afferunt tamen grandem dolorem tum corporis ut morbi; cùm animi ut jactura famæ, opum, amicorum.

Alia

Alia tandem ſunt horum malorum prognoſtica, & portenta. Atque hæc tria malorum genera inveniri in damnatione fides docet.

III. Excitaturus jam Timoris motum, graphicè adumbrabis 1. magnitudinem vicini periculi, bonorum imminentem jacturam, & malorum jam jam irruentium horrorem. Deſcribes autem potiſſimùm timentium in facie pallorem, in corde horrorem, in toto corpore ſudorem. 2. Qui timent, anxia ſollicitudine diſcruciantur, et rumore imminentis mali concutiuntur, ſuſpicantur de bonis mala, in tuto pericula. 3. Deſcribe timentium conſilia, & ſtudia, cùm decernunt fugam, cùm abſtinent publico, cùm preces & vota ad Superos emittunt, cùm hærent, cùm titubant, cùm erumpunt in querelas. 4. Timor timendi materiem capit à non timendis; motus arboris, flatus äeris, memoria mali, ſenſus ipſi externi futurum malum objiciunt, ejusque metum intendunt. 5. Timor tandem nonnunquam erumpit in audaciam, & nonnunquam in ignaviam.

I. Cum

265. Spes

I. Cùm humano intellectui exhibetur bonum abſens, aquiſitu tamen poſſibile, exſurgit in animo motus, & conatus id conſequendi. Et hunc motum dicimus Spem frequenter oratori præſertim in genere deliberativo verſanti concitandum. Succenditur autem Spes & præſtantiâ bonorum, & convenientiâ mediorum. Fidem ad ſexcenta ſimilia argumenta faciet hæc propoſitio. ***Christianus ſperet Cœlum.***

præſtantiâ bonorum

II. Cœlum namque eſt bonum maximum. 2. Hoc bonum quæſierunt maximi viri. 3. Ipſi quærendi ſtudio repoſita ſunt grandia bona velut augmentum gratiæ, virtus, habitus boni. 4. Sine hoc bono cætera bona nil proderunt: hinc bonum eſt ſummè neceſſarium. 5. Hoc bonum quæſitum fuit per magna tormenta â SS. Christi athletis, per magnos rigores à cætera Cœlitum turbâ. 6. Hoc bonum nulli patet invidiæ, aut hoſti; aufferri nunquam poteſt. 7. Complectitur omnem voluptatem. 8. Aquiri poteſt brevi tempore, mediis nec nimium arduis, nec nimium multis, uti videbis.

1. Deus ipſe media porrigit, eáque

convenientiâ mediorum eáque efficacissima. 2. Hæc media myriadibus hominum ad speratum bonum conduxêre experientiâ millenis argumentis comprobata. 3. Dæmon, mundus, cæteríque salutis nostræ hostes sunt imbecilles, omni ferociâ suâ nequeunt hebetare vim mediorum. 4. Media sunt usu expedita, & aquisitu prope obvia. 5. media porrigunt amicorum exempla, magistrorum documenta, Ducum prudentia, & magnanimitas, ac singulorum opes, & præsidia. 6. Viva absentium bonorum imaginatio, ac expedita armorum, roboris tum animi, cum corporis, nec non temporis, loci, sociorúmque ratio.

III. Concitabis tandem Spem, si ob oculos ponas 1. magnitudinem bonorum. 2. tripudiato in præstantia mediorum. 3. producito faustissimos laboris brevissimi eventus. 4. Incusa per vehementiores figuras pigritantium ignaviam. 5. Spe boni futuri erige jacentes, leva miseros, ale fiduciam. 6. Demonstra, quàm certa fides adhiberi debeat iis, qui studia nostra, ut bonis potiamur, succendere conantur. 7. Exhibe spe-

ſperantibus gaudia, commoda, & triumphos, ſi ſpebus potiti fuerint. 8. tandem diſcute, an non ipſi Spei inſit gloria, meritum, virtutíſve præſtantia. Siquid ſimile inveneris, aquires amplam dicendi materiam ex illo dyſticho, quod ſupra c. 3. §. 5. de cauſa efficiente attulimus n. 235.

§. V.

Aperitur via ad Lapidicinam Deſperationis, Audaciæ, & reliquorum hactenus allatorum affinium motuum.

I. SÆpe humanæ menti bonum quoddam tantâ efficaciâ proponitur, ut in id toto defixa obtutu non attendat, quòd nulla ſuppetant media illud conſequendi. Ne igitur mens inani fatigetur conatu, oratoris erit eandem à conſecutionis ſpe abducere. Atque id cùm agit, concitat paſſionem Deſperationis; quam Cicero definit ægritudinem ſine ulla rerum exſpectatione meliorum. Hanc itaque in animis audientium concitaveris ſequenti induſtriâ. Exemplum eſto 266 *Deſperationis per*

esto hæc propositio. *Christianus non exspectet felicitatem in hoc mundo.*

magnitudinem bonorum,

II. Ex parte boni considera, 1. quàm id sit magnum, ac eo ipso indebitum. 2. quòd id genus bonorũ non esset nobis utile. 3. quòd non extinqueret sitim maiorum bonorum. 4 quòd concitaret invidiam æmulorum.

inconvenientiam mediorum

Ex parte mediorum considerabis. 1. Ad assequendam hanc felicitatem suppetere nulla subsidia. 2. ab æmulis everti posse omnes conatus, idque probabis ab Adjunctis loci, in quo vivimus, personarumque, quibuscum vivimus. 3. Hæc eadem subsidia ab aliis studiosè adhibita caruisse omni effectu, idque evinces ab adjunctis temporis.

debilitatem conniтentium

Ex parte conitentium considerabis, quàm ij sint laboris impatientes, ignavi. 2. quòd minoribus sæpe laboribus sint fracti. 3. quòd eâ felicitate sint indigni. 4. quòd sint impediti à consecutione finis: hîc perpende Adjuncta personarum impedientium, velut earum potentiam, & sapientiam.

usu geminò

III. Ne in usu hujus affectûs cespites, bene discrimines velim materiam Desperationis, & adjuncta desperantis. Si iste amplectatur rationem, & illa

sit

ſit adeptu impoſſibilis, pones ob oculos magnitudinem rei perPartitionem, amplificabis nunc perCommunicationem, nunc per hypotypoſin, & ut verbo comprehendam omnia, utéris iis locis, & figuris, quas inveneris ad diſſuadendum aptiſſimas. At ſi deſperantis is eſt animus, ut non audiat rationem, & ipſemet turbatæ mentis furias ore evomat, utéris non tam exquiſitis argumentis, quàm exactis figuris, ipſúmque exhibebis nunc deliberantem, nunc deſperantem, nunc reſpirantem, nunc abſentia, nunc inanimata alloquentem, uti rupes, pugionem. Hic modus aperit aditum ad deſcribenda vindictæ conſilia. Quæ omnia uſus, & lectio meliùs docebit.

Audacia cernitur in periculis. Eam igitur concitabis, ſi demonſtres obverſantia diſcrimina contemnenda, & fortiter adeunda. Materiam præbent ſpes honoris, deſperatio melioris fortunæ, exempla victricis audaciæ. Exprimitur hic motus brevibus ſententiis. 267. *Audacia.*

Commiſeratio cùm ſit ægritudo animi hauſta ex injuria alienâ, exſurgiti. ſubita commutatione florentis fortunæ in adverſantem rerum tempeſtatem. *Commiſerationis*

2. morbis, morte, egeſtate, incarceratione charorum. 3. Adjunctis perſonæ afflictæ, & nobis charæ, ut ſi ſit innocens, clara ſanguine, illuſtris virtutibus, optimè merita; ſenio gravis, aut juventâ florida. 4. Adjunctis Loci, ut ſi ſit detruſus amicus in tetrum ergaſtulum, proſcriptus patriâ. 5. tandem nil eſt efficacius, quàm Adjuncta finîs & modi, & temporis, uti ſi aliquem dicas horrenda pati propter fidem, Deum, aut patriam, & quidem infractâ patientiâ, cum gaudiô, longô tempore.

268. *Indignationis*

Iræ cognata eſt indignatio, eſtque dolor animi natus ex rebus ſecundis alterius, quibus eum indignum judicamus. Unde conſurgit hic motus ex magnitudine bonorum, & improbitate, inſolentiáve poſſidentis hæc bona. Atque ſic indignamur 1. illis, qui armis, potentiâ, opibus abutuntur ad noſtrum contemptum, cruciatum, aut ad necem. 2. illis, qui bona ſua convertunt in materiam ſuperbiæ, & faſtûs. 3. illis, qui laborant vitiis ſingulari odiô dignis, uti eſt avaritia, ſuperbia, libido, crudelitas.

Invidiæ

Concitatur ferme iiſdem modis, quibus odium, & velut Indignatio impetit.

petit bona immerentis ; ita invidia insectatur etiam bona hominis digni ; éstque dolor natus ex parium bonis, & metu, ne alienis bonis propria minuantur.

Æmulatur Admiratio Gaudium, exsurgìtque, 1. cùm subito quôdam inexspectato bonô augemur. 2. cùm facinus, aut effectus quispiam sub oculos ponitur, cujus causam ignoramus. *Admirationis*

Pudor est dolor animi ex malis, tum præsentibus, cum futuris, ac præteritis, quæ quandam infamiam inferunt. Concitatur magnitudine infamiæ, ignaviâ propulsandi infamiam, multitudine testium, qui opus infame oculis, auribúsve usurpârunt. *Pudoris*

Adi Lapidicinam Timoris. n. 264.

Æmulatio tandem colophonem imponat passionibus, quam dicimus dolorem, aut potius ardorem animi natum ex bonis alienis, non quòd iis alius polleat, sed quòd nos illis careamus. 1. Concitatur æmulatio aliorum præclaris factis tum à doctrina, cum virtute profectis. 2. gloriâ, honore, opibus. 3. nulla re magis, quàm cùm videmus nobis ad paria facta, honores, & gloriam, aut opes viam similem feliciter apertam. 4. Fervet *Æmulationis*

hic motus, cùm Majorum exempla inſpicimus, degenerantiumque à Majorum gloriâ dedecus, & infamiam. 5. denique cùm ſermo eſt de æmulatione virtutis, vim magnam habet honeſtas.

CAPUT V.

De Fabrica Rhetorices.

269. *Aggredi ipſam compoſitionem.*

EUbulus. Quemadmodum architectus inventis Lapidicinis, ex quibus ad fabricam eruat materiem, tutò manum tabulæ ad ichnographiam, & malleis ad dedolandos lapides admovet: ita quoque Euſebi repertâ, & duobus præmiſſis capitibus luſtratâ materiâ ad conſtruendum quodvis Eloquentiæ artefactum aptiſſimâ, ordo diſcendi depoſcit, ut tranſeas jam ad ipſum opus, repertam materiam eruas, erutam convehas, convectam ad artis regulas, inſignémque pulchritudinem efformes. Hauſta igitur Locorum ſufficienti cognitione præprimis diſquirenda ratio eſt, qua ad quodvis propoſitum thema producas apta argumenta, & hæc ipſa aptè proponas tum apto modô, cum apto Loco, alia nempe in Exordio, alia in Confirma-

firmatione, alia in Peroratione; alia dein per periodum, alia per enthymema, alia per Soriten, alia alio modo. *Eusebius.* Ut hæc singula arte teneam, quid mihi agendum? *Eubulus.* Iterum respiciendum est exemplū architecti: primò aperienda via ad Lapidicinas Locorum, quod fit per Quæstionem; eruenda materia est, quod fit per selectum argumentorum, seu ut aliàs vocamus, Sylvam rerum; & tandem, quæ selegisti in debitam formam efferenda sunt, quod fit per Argumentationem, & Amplificationem. Jam de singulis breviter.

§. I.

De Quæstione

seu

Via ad Lapidicinas Locorum.

EUbulus. Omnia, quæcunque in quæstionem deduci possunt, esse materiam Rhetorices, exploratissimum habemus. Atque adeo de omni re, de qua institui potest quæstio, componere licet orationem, Chriam, aut epistolam. Sic quærenti an detur alter orbis? an sit purgatorium? an felicitas hominis consistat in scientia? *270. Efformare quæstionem de rebus omnibus vel*

an virtus ſit omnibus bonis præferenda? & ſic de aliis entibus ſeu phyſicis, ſeu moralibus, uti de prato, & virtute, tam naturalibus, quàm ſupernaturalibus, uti de amicitia & gratia; tum fictis, cum veris, uti vulpanſere, & vulpe quærenti potes pro qualitate quæſiti vel affirmando vel negando reſpondere. e. g. Non datur alius mundus. Eſt purgatorium &c. Et hæc theſis, quæ in hunc modum quæſtioni reſpondet, eſt primum ad quamvis compoſitionem requiſitum. Quæſtio autem, quæ de ſingulis rebus inſtitui poteſt, alia eſt cognitionis, alia actionis. Illa conſiſtit in ſola ſpeculatione, hæc in operatione: illa proponitur, ut res quæſita ſolùm ſciatur; hæc, ut etiam efficiatur. Unde ſi quæro, *Ignis éſtne nobiliſſimum elementum?* Quæſtio cognitionis eſt. Si autem dico. *Ignis charitatis éſtne ſuccendendus?* Quæſtio eſt actionis. Nam illa non ordinatur ad praxin, ſed ſolùm ad hoc, ut auditor ſciat ignem eſſe nobiliſſimum elementum. Hæc autem reſpicit opus, noſtrum nempe amandi ſtudium. Compoſiturus itaque orationem de re quapiam, primò te examina, quid de illa quærere poſſis

cognitionis, vel

actionis ſub

possis? Exemplum sit B V. Maria. *Eusebius.* Quid ergo possum quærere de B. V. *Eubulus.* quòd sit e. g. Regina cælorum, quòd sit colenda &c. *Eusebius.* Si formavi similes quæstiones, quid agendum? *Eubulus.* Eam quæstionem tibi eliges ad orationem, ad Chriam &c. quam personis, Loco, tempori censueris ad audientium profectum utilissimam, si intendis utilitatem; aut ad delectationem aptissimam, si cupis excitare voluptatem; aut quam ad aliud bonum persuadendum, malúmve dissuadendum expeditam æstimaveris ipso usu rationis. Si alterutram itaque è duabus quæstionibus elegeris, discuties, an quæstio, quam elegisti, sit quæstio cognitionis, an actionis.

271. argumentis debitis in

Si primum, ea solùm argumenta proferes, quæ persuadeant, B. V. Mariam esse Reginam cælorum. Si secundum, afferes etiam ea, quæ ad ipsum Mariani cultûs exercitium movere possunt.

272. genere Demonstrativo

His ritè constitutis facilè colliges, ad quodnam orationis genus spectet tua quæstio. Si sistit in sola scientiâ, & certæ veritatis cognitione, oratio erit in genere Demonstrativo, Exor-

nativo, ſeu Panagyrico; in quo genere dicendi occupatus orator diſquirit, an hæc, vel illa res ſit laude, vel vituperiô digna, ejusque indolem, cauſas, proprietates, & effectus oratione laudatoriâ, vel vituperatoriâ affert, ut hæc ſingula ſciat auditor. Ad hoc genus ſpectant orationes, quibus gratulamur, gratias agimus, laudamus, vituperamus, quales ſunt funebres, Natalitiæ.

Deliberativo. Quæſtio autem actionis efformat genus Deliberativum, quo auditori aliquid ſuademus, aut diſſuademus: quo ipſum hortamur, aut conſolamur, quo aliquem alteri conciliamus, aut commendamus, & quo denique auditorem ad aliquid agendum, prolicimus.

Judiciali. Si tandem quæſtio coram Judice in foro proponenda ſit, cures neceſſe eſt, an ſit ſpeculativa, an practica. Si primum, ſequetur leges generis Demonſtravi: ſi ſecundum, Deliberativi normam ſortietur. Unde ab aliis mixtum dicendi genus appellatur, & nullum ferme hodie uſum habet, niſi quem exercitatio ingenij in ſcholis parit.

§. II.

§. II.

Quomodo eruenda apta materia ad propositam Quæstionem?

EUsebius. Si formavi quæstionem, ejúsque naturam (an nempe actionis, vel cognitionis sit, an spectet ad genus Demonstrativum, an Deliberativum, vel Judiciale) sufficienter perpendi, quid mihi porro agendum restat? *Eubulus.* Præ omnibus, & omni curâ producenda sunt argumenta proxima. *Eusebius.* Quid sunt? *Eubulus.* Prima probationis capita, quæ primariò ad probandam quæstionem ex Locis Rhetoricis producas. Ea sunt pro compositionis, quam præ manibus habes, ratione duo, tria, aut quatuor; oratio tamen communiori usu tria ambit. Munus argumenti proximi est continere oratorem, ne extra præfixæ Quæstionis fines feratur. *Eusebius.* Da exemplum. *Eubulus.* Exemplum esto hæc thesis. 275. *Proferre argumenta proxima*

Debemus colere B. V. Mariam.

En habes quæstionem actionis in hac propositione, habes & genus dicendi nempe deliberativum. Ergo jam opus habes tribus argumentis proximis, quibus eandem non præ-

ciſè ſpeculativè, ſed in ordine ad praxin perſuadeas, poſsúntque eſſe hæc.

I. Quia digniſſima eſt omni cultu.

II. Quia ejusdem Divinæ Matris cultus eſt nobis utilis.

III. Quia Deo eſt gratiſſimus.

274. *remota ſub*

Sed cùm hæc ipſa argumenta ſint nuda, omni ornatu, & vi movendi deſtituta, illis erutis protinus mentem convertes ad proferenda argumenta remota, quibus proxima probari debent. Unde argumenta remota nil ſunt aliud, quàm rationes, & firmamenta cauſæ, quibus proxima argumenta fulciuntur, & probantur: debéntque è Locis Rhetoricis tot, & tanta produci; quot, & quanta roborandis argumentis proximis viſa fuerint neceſſaria.

diſpoſitione debita

Ne autem inventa argumenta confusè miſceantur, ſemper cuivis argumento proximo ſua remota calamô ſubjicienda ſunt hoc modô.

I. Quia eſt digniſſima omni cultu. Nam 1. à *Relatis* eſt mater Dei Divina, & hominum beniguiſſima.
2. à *Cauſa materiali in qua* (adi §. 5. n. 2. c. 3.) eſt gratia, virtute, & omni-

omnibus donis cœleſtibus plena. Id proba ſis à Partitione.

3. à *Genere* conſtituta eſt in dignitate, cui debetur cultus. Id evinces, ſi à genere, ad varias dignitatúm *Species* deſcenderis, ut eſt dignitas Reginæ cœlorum, Dominæ universi, Filiæ Dei Patris, Sponſæ Spiritus Sancti.

II. Quia cultus Marianus eſt nobis utilis. Nam 1. à *Genere*: poſſumus cultu Mariano à nobis propulſare omnia mala, & impetrare omnia bona: proba ſis id à Specie malorum, uti ſunt vitia animi, morbi corporis; & bonorum, uti ſunt virtutes, doctrina, felix mors. Singulis his membris probandis argumenta ſuppeditabit *Cultus B. V. Induſtria.*

2. ab *Effectis* aperit planam ad magnam perfectionem ſpiritualem viam; exercitium virtutis cujusvis facile reddit: proba ſis hoc à *Comparatione* filij.

3. à *Conſequentibus* infallibiliter cultorem Marianum manet quies conſcientiæ, fiducia in morte, magna in cœlis gloria.

III. Quia

III. Quia cultus Marianus est Deo gratissimus.

1. à *Testimonio* SS. Patrum, ipsius Dei cultoribus Marianis admirandas gratias promittentis.
2. ab *Adjunctis* Dei, Deiparæ, & cultoris Mariani. Nota arctam connexionem animorum.
3. à *causa finali*: cupit enim nos sibi Deus hoc modô arctissimè per amorem, conjungere &c. proba sis id ab exemplis.

Si hoc vel simili modô in obvia quadam pagellâ sine ullo Rhetorices, figurarúmque ornatu Sylvam, ut vocant, rerum parâsti, tum primùm manus ipsi compositioni apponenda est. Eam autem ut bene ordiaris, & faciliter pertexas, hæcce ruditer parata argumenta, arte debes efferre per argumentationem. *Eusebius*. Sed quid, & quotuplex est argumentatio, quâve ratione instituenda?

§. III.

Quomodo argumenta eruta sunt tractanda?

27 *Explicare rationes argumentatione*

EUbulus. Argumentari dicimus eum, qui argumenta explicat, & arte unum

unum ex alio deducit. Atque id fieri poteſt vel Syllogiſmô, vel Ratiocinatione, Enthymemate, Collectione, Sorite, Dilemmate, Epicheremate, aut Inductione.

Syllogiſmus eſt argumentatio ex duabus præmiſſis concluſionem neceſſariò inferens e. g. quærens in omnibus gloriam Dei, amat Deum: quæſiit S. P. Benedictus: ergo amavit Deum. Primum Syllogiſmi membrum dicitur propoſitio, aut major; alterum aſſumptio, aut minor; tertium complexio, ſeu concluſio. Sed Syllogiſmum, quem Philoſophus nudum tractat, orator variis figuris, inverſo per artem ordine nunc à complexione, nunc ab aſſumptione incipit, & ad concitandos motus effert. *Syllogiſmô.* *Euſebius.* Quomodo tractandus eſt Syllogismus? *Eubulus* Ratiocinatione, quæ nil eſt aliud, quàm illius artificioſa explicatio, eaque triplex: tripartita, quadripartita, & quinquepartita. *Ratiocinatione*

Tripartita eſt ſimplex Syllogiſmus ſine ulla additâ propoſitionis aut aſſumptionis probatione, non tamen ſine ſelectu quodam verborum, aut ornatu Rhetoricæ. Quadripartita eſt, *tripartitâ,*

cùm

cùm vel propositio, vel assumptio probatur; tandem Quinquepartita est, cùm tam illa, quàm ista probatur aliquô argumentô. Exemplum pro singulis præbet designata propositio; & quidem pro Tripartitâ, si dicas.

„Ardent illæ animæ cœlesti divinæ „charitatis incendiô, quibus omnis „votorum summa in eô versatur, ut „Supremi Numinis gloriam in singulis suis seu agendi, seu omittendi consiliis *inveniant*. Quantùm in his amãdi studiis flagrârit ardentissimus nostri Protoparentis animus, novit *orbis*. Quis igitur eum his ignibus arsisse dubitârit?

Quadripartitâ Si ex Locis Rhetoricis quæras rationem majoris, seu propositionis, eamque per debitam figuram efferas, efficis Ratiocinationem Quadripartitam. Rationem autem dabit definitio amoris benevolentiæ, qui est motus animi, quo efficaciter volumus alteri bonum non nostræ utilitatis studiô, sed ob amati cognitam bonitatem. Adde ergo post majorem, hoc est, post voculam *inveniant*, rationem hanc majoris simili modô.

„Id namque est veri amoris, & ex „amore ardentis animæ ingenium, ut „nihil

„nihil in ſua commoda reflectat, ſed „in amantiſſimi Dei honorem, á quo „velut inexhauſto fonte omnia ſibi „bona fluxiſſe reminiſcitur, integerri- „mè derivet. Oſtende ſis amanti „animæ gemmarum fulgores, auri „pretia, dignitatum faſtigia: contem- „net, niſi hæc ipſa rerum opulentia „conferat ad divinæ charitatis incre- „menta.

Quod ſi velis præfixum Syllogismum in quinquepartitam Ratiocinationem efformare, inquire etiam rationem aſſumptionis, quòd nempe S. P. N. dictis, & factis Dei gloriam quæſierit, ac minori poſt particulam *orbis* hujusmodi methodo ſubjunge addita concluſione eorum, quæ à propoſitione, & aſſumptione deducta ſunt. *Quinquepartita*

„Inde magnus exarſit ille Zelus, „quo evertit idolorum ſtatuas, quô „induxit Chriſti Sacra, quô novæ Re- „ligionis poſuit rudimenta. ***Ut in om- „nibus glorificetur Deus, præcepit diſ- „cipulis ſuis, ſcripſit Regulam charita- „tis***, ac tandem divinus iſte ignis in „flagrantiſſimo eius pectore in tantas „flammas exarſit, ut Deum ipſum „rarô prodigiô, & anticipatô æternæ

„Bea-

„Beatitudinis privilegiô in terris meri-„tus ſit intueri. Has flammas non „potuit extinquere gelida mors: ſte-„tit igneus vir, cùm obiit, ut etiam „hîc ignem æmularetur, qui jacere „neſcius, ſemper in altum enititur. „Hæc ſiquis perpenderit, facilè intel-„liget, in quàm magna charitatis in-„cendia Divi Protoparentis animus „exarſerit.

Ne vero Ratiocinatio evadat inſulſa, inchoanda nonnunquam eſt ab aſſumptione, nonnunquam à propoſitione. Hujuſce rei præbet inſignes imagines R. P. Michâel Radau S. J. in oratore Extemp. p. 1. c. 2. q. 3. Præterea abſtinendum eſt Ratiocinatione Quinquepartitâ, niſi tam propoſitio, quàm aſſumptio indigeat probatione. Adi §. 5. de Crinomenô n. 288.

276. *Enthymemate*

Porro Enthymema cùm conſtet tantùm duabus Syllogiſmi partibus, nempe propoſitione, & concluſione; dicitur Syllogiſmus imperfectus, ac ejus uſus gravis, & frequens eſt oratoribus. Si volueris itaque ab enthymemate argumentari; forma prius rudem tecum de re propoſita theſin,

e. g.

e. g. *Mors peccatorum pessima.* Tum adde conclusionem : *ergo est fugienda.* Ac tandem utrumque exorna.

„Imaginare tibi hominem, qui om-„nem præteritæ vitæ indulgentiam „miserè in sceleribus absumpserat, jam „jam cum morte luctantem. Ob „oculos versantur bona, quæ infe-„liciter omisit ; mala, quæ frequen-„ter commisit , vivere cupit , & mo-„ri compellitur ; quiescere desiderat, „& doloribus obruitur. Suspiciat „sursum ? imminet judex , qui dam-„nat ; dispiciat deorsum ? panditur „infernus, qui absorbet. Intus ma-„la conscientia mordet , à sinistris „accusat dæmon, à dextris deserit ami-„cus. *Conclusio.* Hæc quisquis per-„penderis facilè concedes mortem , „peccatorum esse pessimam: pessimam „à tempore quod amiserunt ; ab æ-„ternitate , ad quam rapiuntur ; ab „igne , à quo semper urentur ; ab om-„nibus malis , quibus semper pertor-„quebuntur.

Enthymema geminô modo tractari potest. Primus est, cùm plures rationes adductæ unica conclusione finiuntur. Alter est, cùm ex una ra-

tione plures conclusiones eliciuntur. Exemplum secundi esto hæc thesis: de omnibus reddenda erit ratio severo Judici. Insanus igitur, qui nullam animi sui curam gerit, qui singula, velut in buccam veniunt, effutit, opera mala pejoribus cumulat. Reddenda est ratio: cavenda ergo in divinis socordia; interpellandi cœlites, eluendæ præteritæ noxæ. Huic modo insigniter subjiciuntur exempla. Hæc judicij memoria Carolomannum traxit è regno in claustrum, hæc armavit Rachisio flagris dexteram. Primi sit hæc propositio: *tempus est pretiosum.*

„Tempus ministra virtutis est, „ejusdem unicum momentum irrecu„perabile est. Reges damnati non „amissa regna, sed perdita momen„ta deflent: ergo tempus pretiosum „est.

277. *Collectione, quam constituit*

Collectionis in argumentando haud minor vis est, & constat quinque partibus. 1. propositione. 2. ratione propositionis. 3. ejusdem rationis confirmatione. 4. exornatione confirmationis & 5. tandem complexione. Exemplum esto hæc propositio: *Virtus est omnibus rebus anteferenda.*

„Vir-

„Virtutem omnibus bonis ante-„ferendam esse veræ sapientiæ arbi-„tri semper censuerunt. *propositio.*

Posita propositione discute Locos, & ex eis propositionis rationem deprome. Effecta virtutis præbent hoc argumentum. *ratio*

„Sola námque virtus nos verè bo-„nos, reipublicæ utiles, cælo gratos, „& tandem æternæ beatitatis participes efficit.

Confirmatio peti potest ex omnibus fere Locis; qui tamen cæteris sit præferendus, judicio relinquitur Oratoris. Ex Loco comparationis rem facilè conficies. *confirmatio,*

„Da mihi hominem, qui Crœsum „opibus, robore Milonem, formâ „Ganymedem ac cæteris naturæ di-„vitiis seu novæ, seu priscæ felicita-„tis exempla plurimùm superet; si „unum virtutis bonum desit, an non „omnis hæc opulentia degenerat in „vitia? Forma libidini, robur fastui, „aurum cupiditati serviet?

Atque id ipsum exorna debito iterum Loco; qualis est similitudo, exemplum, consequentia, *exornatio*

„Non poterat sua sine virtute Salo-„monem sapientia tueri contra lap-

„ſum. Alexander tum regnum, cùm „virtutis ſtudium amiſit. Quid jam „de Diocletiani imperio, de Caligu-„læ aurô ſupereſt, niſi magni nomi-„nis umbra? Tandem in concluſione repete, quod in Collectione propoſuiſti, ſimili formula.

complexio

„In eo igitur omnium noſtrûm „ſtudia deſudent, ut virtutem omni-„bus aliis bonis præferamus.

Atque ex his vides, in quo differat Collectio à Ratiocinatione. Hæc namque concludit id, quod è propoſitione, & aſſumptione confectum eſt; illa id ipſum, quod proponitur in concluſione, repetit.

278. *Sorite*

Euſebius. Quid eſt Sorites? *Eubulus.* eſt argumentatio conſtans pluribus propoſitionibus, quarum poſterior in aliqua veritatis connexione ſemper gradatim involvit anteriorem. Atq; ſic ex primâ propoſitione concludit ultimam. En formam in hoc dicto. *Studium virtutis eſt optimum.*

„Studio virtutis adducimur ad cog-„nitionem rerum totius naturæ arca-„na transgreſſarum, à cognitione ad „conſtantem ſanctiſſimorum operum „exercitationem, ab exercitatione ad „inde-

„indefeſſam propagandi divini nomi-
„nis vigilantiam, à vigilantia ad
„Charitatem Dei, à Charitate Dei
„ad ſanctimoniam, à ſanctimonia ad
„Dei Ter opt. M. boni æternam frui-
„tionem, qua nihil eſt melius: ergo
„ſtudium virtutis eſt optimum.

Euſebius. Qua ratione facilè con-ſtruitur Sorites? *Eubulus.* 1. uſu præpoſitionum in ſubſtantivis; 2. adverbiis in verbis, & 3. ablativis abſolutè poſitis in utrisque. Sic ex particula *contra* deſcribes miſeriam peccatoris.

„Contra ſenſum pugnat ratio, con-
„tra rationẽ conſuetudo, contra con-
„ſuetudinem timor, contra timorem
„contemptus, contra contemptum de-
„ſperatio. Hæc auffert omne pœniten-
„tiæ conſilium; ſicque miſer ex Dei
„miſericordia ſumit peccandi audaci-
„am, ex audacia in malefacto jactan-
„tiam, donec ex jactantia naſcatur
„æternorum bonorum jactura. 2. Sol-
„licitè caverent hæc mortales, ſi ſa-
„lubriter timerent? ſalubriter time-
„rent, ſi ritè perpenderent; ritè per-
„penderent, ſi majorem animæ, quàm

„corporis, curam gererent. 3. Sed „quis pessimum in mala quæque cur-„sum impiorum sistet? Spretis monitis „abjiciunt vitæ christianæ consilia, ab-„jectis hisce consiliis vendunt animum „infrunitæ libidini, vendito hunc in „modum animo, sui dominio exuti „velut bruta in omne flagitium ferun-„tur.

In his autem omnibus cavendum, ne gradibus Soritis inseratur aliqua propositio falsa. Hoc defectu laborat hæc. Qui multum numerat auri, habet magnam opulentiam; qui magnam habet opulentiam, potest legere militem; qui potest legere militem, potest cogere exercitum &c. ergo regij præfectus ærarij, qui multum numerat auri, potest cogere exercitum. Nam prima propositio tantùm est vera de eo, qui multum proprij auri numerat, non autem de eo, qui crediti solùm auri talenta recenset.

§. IV.

Pertexitur eadem argumenta tractandi ratio.

279. *Summissione*

E*ubulus.* Summissio inde nomen, unde suum officium haurit, id quod

quod totum in eo consistit, ut orator petat per figuram Interrogationis rationem sui dicti, & usu harum, vel similium particularum quasi responsum submittat. *Quare hoc? Quid ita? cur? Quid te movet ad hoc? Quæ te ratio ad hæc tanta dicenda compulit?* Habet Sumissio magnam vim tam probandi, quàm movendi, si interrogationi egregiâ quadam ratione respondeas, illique iterum, iterumque repetitæ novam semper vel ex eodem, vel alio Loco erutam causam subjungas, ac per varias figuras exornes. Hujusce argumentationis praxin maximè tibi commendatam velim in Chria, cùm à *Paraphrasi* transitum facis ad *Causam*. Dixerat S. Zacharias Papa ordinem nostrum *Institutum Apostolicum*. Explicatis in *Encomio* S. Zachariæ laudibus, & in *Paraphrasi* allatis rationibus, quibus naturam *Instituti Apostolici* describimus, Summissio hunc in modum viam patefaciet ad tertiam Chriæ partem beneficiô Apostrophes.

„ Quid te Sanctissime Papa movit „ad tam illustre elogium? Protopa-„rẽtis nostri evertentis idola,& Chris-

„ti ſacra inducentis zelus. Quid mo-„vit? S. Regula, qua velut in Iliade „totius vitæ Apoſtolicæ rationes clau-„duntur. Quid movit? ad fidem ad-„ducta Anglia. Et ſic mutatâ figura Apoſtrophes in communicationem poſſes alia ordinis noſtri merita ex omnibus ferme Locis, præſertim Effectis afferre, velut ſunt celebrata Concilia, edita commentaria &c.

280. *Subjectione*

Eubulus. Cognatæ ſunt Sumiſſioni Subjectio, & Violatio. In illa quærimus, quid contra nos pro adverſa parte dici poſſit, ſingulíſque interrogationibus illicò rationem ſubdimus, quâ, quod contra nos allatum eſt, deſtruatur, & falſi convincatur.

Sunt non pauci, qui ſe neſcio quibus fraudibus eximere à virtutis exercitio nituntur. Hos ita Subjectione convelles.

„Quid jam excuſandæ ſocordiæ ve-„ſtræ poteſtis afferre? an temporis „anguſtias? at integras hebdomades „luſibus, riſibus, & jocis perditis. An „virtutis mihi arduos labores oppo-„nitis? at avaritiæque, libidiniſque ſtu-„dio longè majora perfertis incommo-„da. An ab ignaviæ vos infamiâ li-„bera-

„berabit familiæ, rerumque externa„rum cura? at hæc ipſa vos exſtimu„let ad probitatis ſectanda veſtigia, ut „Deus conatibus veſtris robur, famu„lis ſubjectionem, rebus incremen„tum, domi pacem, foris tutelam „largiretur. Laborem objicitis? igna„via eſt: fatigationem? ſocordia eſt, & „cùm palliandis vitiis veſtris tegmen „quæritis, animum omni modeſtiâ, „& Chriſtianâ virtute nudatum exhi„betis.

Euſebius. Quid eſt Violatio? *Eubulus.* eſt argumentatio, quâ rationes adverſarij retorquemus in adverſariũ. Idque fit geminô modô: ſi adverſarium ſecum pugnare contendimus; vel ſi illud ipſum, quod ſibi pro clypeo ſumit, nobis ad convellendum traducimus. Exemplum præbet Thraſo quidam. *281. Violatione*

„Ego inquit ſorte mea contentus „vivo. Gloria mihi famulatur & fa„ma. Paucos ſupra me, omnes infra „me conſpicio. Sum ſolus in arte „mea ſol. Mea mihi vita felicitas eſt: „infelicitatem ignoro. At ſi faſtus „tuus monita ſalutis ferret, quàm citò „de ſorte tua alium ſenſum admitte„res. Illa contentus vivis morti pro-

 ximus,

„ximus. Si magnus esses; tam par-
„vâ re capi non posses. Non tibi
„gloria famulatur, sed tu gloriæ, cu-
„jus mancipium cùm sis, infamiam
„pro famâ colis. Cùm omnibus te
„præferas, nemini es præferendus, om-
„nium contemptu dignus, cùm om-
„nibus te præponas. Sol es, sed si-
„ne stellis, & fulgorem tuum solus
„vides non eum, qui in gestis tuis
„promicat, sed quem tua tibi stulti-
„tia fingit. Vita mortalis cùm sit
„plena miseriis, nemo miserabilior est,
„quàm qui tecum pro ambrosia cicu-
„tam bibit. Infelicissimum existimo,
„qui superbiæ infelicitate captus se
„felicem autumat. Quid est in fastu
„tuo, quod non est ad ruborem tu-
„um? Robur? ergo jam es elephante
„major: forma? si cum fæminis de
„fuco certas, ad fusum perge: scien-
„tia? cùm te ignores, ignoras omnia.
„Homo cùm sis, miser es, & hoc igno-
„ras? Tace, ne verbis animi tui la-
„trinam magis recludas: odor tuus,
282. *Oppositione* „probis mephitis est. Tace, si loqui
„cupis, factis loquere.

Eubulus. Restant nobis Oppositio, Dilemma, Epicherema, & Inductio. *Eusebius.* Quid est Oppositio? *Eubulus.* Spe-

Species Enthymematis, quæ rem quampiam in una thesi, vel hypothesi permitteret, laudaret &c. nisi aliquo oppositô efficeretur, ut aliud statuatur; habetque hanc Enthymematis formam: concederem hoc, vel illud, nisi istud obsisteret: ergo concedere non debeo, cùm obsistat. Exemplum esto hæc thesis. *In vita spirituali semper proficiendum est.*

„Facilè quidem tibi concederem „in virtutis studiô ferias: ad id nam„que me compellit ipsa laboris mag„nitudo &c. At cùm perpetuò impug„nemur à vitiis; pacis, & quietis con„siliô in exitium te adducerem. Om„nes rapido torrente vehimur: sem„per fluctibus obluctandum: qui con„tra non nititur, abripitur. Da mi„hi hominem, qui paucis mensibus „ponat studium demissionis, & mo„destiæ: abripietur in scopulos super„biæ &c. In via sumus; eundum est, „si vis pervenire ad patriam. In acie „stamus; pugnandum est, si vis refer„re victoriam.

Eusebius. Quid est Dilemma? *Eubulus.* est ratiocinatio duabus constans rationibus, quarum alterutrâ, quam- 283. *Dilemmate*

quamcunque adversarius concedat, feritur. Estque duplex vibratum, & amplificatum. Illud est, cùm nudè afferimus pugnantes theses, uti. Aut Religiosus es, aut non? si es: cur opera Religiosa non obis? si non es: cur habitum gestas.

vibrato

amplificato

Istud est, & propriè hujus Loci, si utrumque membrum probamus. Exemplum esto. *Differens studia probitatis non seriò cupit probitatem.*

„Si seriò virtutis studia, & ex studi„is præmia cupis, cur non statim il„la assumis, & istis, te capi sinis, cùm „& animus fervet, cùm tolerantior „est laboris ætas? cùm alliciunt bona „exempla? cùm Deus excitat sua gra„tia? *En primum membrum.* Quî „virtutem coles annis fessus, cùm pra„væ consuetudines tibi virtutis opera „reddēt æstimatione vilia, exercitatio„ne difficilia? Cùm Deus præteritæ „vitæ dispendia puniet tetrica senectu„te? Cùm pertinax in cœptis volun„tas mala, multisque annis nutrita „societas, ac tamdiu sine fronte usur„pata peccandi impunitas latissimam „ad interitum viam aperient? Atque „hæc omnia nosti ex innumeris senum „exemplis, pergis tamen florem æ-

tatis

tatis tuæ prodigere, ac inſipientiſſimo conſiliô culturam animi differs in ſterilem ſenectutis hyemem. Vis ergo, „de te credam ſerium emendandæ „vitæ propoſitum, ver juventutis ex-„colendæ menti aptiſſimum dilabi „non ſine.

Euſebius. Epicherema multùm habet à Syllogiſmo, nec minùs ab Enthymemate; ab hoc verba, ab illo ſenſum. Ac definitur ratiocinatio in unam propoſitionem contracta e. g. *miles ducem deſerat?* Nam totum hunc Syllogiſmum ambit hæc propoſitio. Miles non debet deſerere ducem: ſed hic eſt miles, ergo &c. Unde Epicherema formâ eſt Enthymema, Syllogiſmus æquivalentiâ. Exemplum ſit illud Paulinum Rom. 8, 28. quibus omnia cooperantur in bonum, ergo nihil in malum. Si jam omiſſâ propoſitione amplificas aſſumptionem, epicherema facis. 234. *Epicheremate*

„Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Detrudantur in tetros carceres, onerentur opprobriis, extollantur honoribus, dilaudentur à ſcientiis: carcer ipſis pro bono libertatis, opprobria ipſis ad bonũ

„pati-

,, patientiæ, honores ipsis ad bonum
,,maximorum operum, scientiæ ipsis
,,ad bonum communis utilitatis inser-
,,vient. Prodeant ergo ex inferis dæ-
,,monum acies; cùm amant, vincunt.
,, Blandiantur serenæ fortunæ Favonij;
,,cùm amant, contemnunt. Egeant,
,,lateant, ægrescant: in egestate abun-
,,dant, in vilitate gloriantur, in ægri-
,,tudine triumphant. Cúmque ipsis
,,Deus sit omnia, in omnibus Deum
,,inveniunt, & in Deo omne bonum.
,,Quis autem in omni bono præsu-
,,mat quæritare malum?

285. *Inductione*

Eubulus. Evasimus jam ad Inductionem Eusebi Argumentationem longe præstantissimam, verbi divini præconibus frequentissimam, & de veritate in ultima proxima triumphantem. Est autem aperta ratio, qua ex multi[s] particularibus propositionibus univer[-]salem inferimus, ac manifestam red[-]dimus. Cúmque id quadrupliciter fie[-]ri possit, Ennumeratione partium su[b] uno toto, plurium similitudinu[m] congestu, complurium exemploru[m] productione, & usu auctoritatis; qua[-]druplicem quoque statuimus specie[m] Inductionis. Singularum paradigm[...]

quadruplici per

f

ſit hæc theſis. *Ordo S. Benedicti eſt toti Eccleſiæ utilis.* Jam Eccleſiam partiamur juxta quadruplicem diviſionem, & habebis formam perfectæ Inductionis.

Ennummerationem partium

„Magna ſunt, queis Italia, queis „Gallia, queis Hiſpania, queis Ger„mania, queis Eccleſia univerſa locu„pletata eſt ab ordine noſtro, emo„lumenta.

beneficio iſocolorum

Ad ornatum, & amplificationem plurimùm valet hæc Ennumeratio, ſi ſingulis membris brevis ratio per iſocola ſubjungitur.

„Italiam luſtra; á D. Protoparen„te idolorum mancipatu liberatam „invenies. Galliam adi; à Mauro „virtutum gymnaſiis auctam mirabe„ris. In Hiſpaniam naviga; à Lean„dro inſtauratam ſcientiarum glori„am obſtupeſces. Nullum in Ec„cleſia regnum, quod huic ſanctiſſi„mæ Religioni fidem aut primò in„ſitam, aut propagatam non debet; „nullam in regno provinciam, cui S. „Pater ſuſtentandis infulis præſulem, „illuſtrandis ſcientiis doctorem non „dedit; nullam in provinciis cele„brem civitatem reperies, quam no„ſtri, cùm viverent, non ſuis meritis

aut

„aut post obitum sacris ossibus, ac- „patrocinio non beârint.

Interrogationum Figura Interrogationis mirificè juvat hanc partitionem, ac amplissimum amplificandi Locum præbet, si additur Apostrophe.

„Quid dicam de tot editis libris? „de tot inductis sacris ritibus, & ce- „remoniis? de tot exstructis aris, & „templis? Vos ego compello desertos montes, & inhospitas solitudines: „quis coronavit vertices vestros par- „theniis templis? quis excoluit steri- „litatem vestram? Benedictus. O „quàm multam calamis, linguis, ad- „mirationique materiem tu solus in „Italia Casine, tu sola in Germaniis „Fulda, tu solus in Hispaniis Mons „Serrate subministras!

Antithetorum Nunquam autem meliùs exornatur Oratio, quàm si antitheses, & Distributio subjectam materiam elevant.

„Revoca tibi in memoriam illorum „temporum catastrophen, quibus im- „pietas furore, & hæresis dolo Eccle- „siam incursabant, & videbis Reli- „gionem nostram utrique devincen- „do, & eludendo suffecisse. Furori „objecit clypeum patientiæ, errori „arma prudentiæ. Supplicia devicit for-

„fortitudine, impia dogmata veritate.
„Agonothetæ noſtri omnem Tyrannidem pro fide, & Eccleſia ridebant.
„Succenderat illa ardentes rogos; „inſilierunt : intentârat ſecures & enſes; pertulerunt : damnârat ad præcipitia, & vertices; ſubierunt.

Tandem Enumeratio fit per congeriem aſynthetorum, maximo decore, ſi interrogatione vibrentur. *aſynthetorum*

„Verùm quis enſes, quis machæras, quis funes, quis vincula, quis „ſupplicia, & omnia ſuppliciorum „genera recenſeat, quæ noſtri in „carceribus, in cataſtis, ſub tyrannis, ſub præfectis, qualibet ferme „ætate, ac quanta animi fortitudine „pertulerunt?

Secundam Speciem Inductionis efformant multæ congeſtim allatæ ſimilitudines, aut diſſimilitudines. *congeriem Similitudinum*

„Quod urbes munitiſſimæ regno, „quod regi armati exercitus; quod „architallaſſus claſſi, hoc Patres noſtri ſemper fuerant Eccleſiæ : in pace conſilium, in bello firmamentum rei orthodoxæ nulla non ætate „fuerunt. Nulla hyems adverſitatum „ardores prædicantium extinguere, „nullus æſtus perſecutionum ſtudia

V la-

„laborantium fatigare poterat. Quis „ergo non videt &c.

286. exemplorum

Tertia ratio efformatur, ſi exempla, quæ ſunt ſingularium hominum in quodam facinore excellentium facta, eleganti diſtributione coacervas.

„Zelus pro Eccleſia Dei laborantiū, „& zeli emolumenta non uno reg„no claudi poſſunt, ſed in totum „prope orbem diffunduntur. O quid „non debet ſuo Germania Bonifacio, „ſuo Bohemia Wolfgango, ſuo Sue„cia Anſchario, ſuo Polonia Adal„berto, ſuis alia regna Apoſtolis, à „quibus fidem hauſerunt, pietatem „didicerunt, exuta barbarie huma„nos mores aſſumpſerunt! Ordo Be„nedictinus per Anſelmos, Rhaba„nos, Rupertos orbem libris, cœ„lum Sanctis implevit. Meritis, ſanc„timoniâ Carolomannos, Rachiſi„os, Veremundos docuit abjicere „ſceptra, ponere regna, aulam cel„læ, gloriam contemptui, opes pau„pertati poſthabere.

287 auctoritatum

Quartam tandem formam Inductionis conſtituunt magnorum virorum auctoritas, apophthegmata, dicta, & exempla.

„Integras eorum, qui dictis meis fidem

„fidem astruant, Scriptorum centu-
„rias afferre possum. E Trithemij
„historiâ Religio Benedictina dedit
„Ecclesiæ 40. SS. Pontifices, è Ge-
„nebrardi calculo 200. & amplius
„Purpuratos Patres; è Wionij calamo
„1600. Archipræsules. Baronium a-
„di, Yepesium lustra, & alios Ec-
„clesiasticæ historiæ conditores evol-
„ve. O quàm multas tibi à nostris
„conversas gentes referent! extinctas
„hæreses ostendent! sopita schisma-
„ta demonstrabunt! Alius exaggera-
„bit tibi erectas Academias, illustra-
„tam Commentariis S. Scripturam,
„compilati Juris canonci gloriam, con-
„servatã Ecclesiæ historiam, propaga-
„tam Divinæ Matris venerationem, ut
„adeo non sine magnis momentis ille
„pronuntiârit, *post Sacratissima, & Sanc-*
„*tissima Ecclesiæ Sacramenta nihil ita*
„*in Ecclesia utile fuisse, ac SS. Mo-*
„*nachorum Benedictinorum ordines, &*
„*instituta.*



§. V.

Quibusnam rebus expedita reddatur ratio argumentandi?

288. Facilitare Argumentationē per

EUbulus. Ut facilem Eusebi ineas rationem tractandi argumenta, varietas Argumentationum, cura Transitionum, via digressionis, virtus Amplificationis, & ante omnia Crinomenon ob oculos versentur. Jam de singulis seq. §.

Crinomenon.

Eusebius Quid est Crinomenon? *Eubulus* est illa propositio, in qua totius orationis vis versatur, & qua sufficienter probatâ AA in sententiam ultrò concedunt. Crinomenon facilè cognosces, si propositionem tuam in formam Syllogismi redigas e. g. *S. Benedictus est verus Abraham*

„Quem ingentia facta assimilant „Abrahamo, est Abraham: S. Bene-„dictum assimilant talia facta Abraha-„mo: ergo.

Ut jam scias, quænam ex his tribus propositionibus sit crinomenon, singulas trutina, & quam inveneris probandam, ac incertam, AA. incognitam, eam Crinomenon existima, uti est in dato exemplo *Minor*, aut ut Rhetores vocant, *Assumptio.* ut igitur

tur jam demonſtres theſin: *S. Benedictus eſt Abraham*, omnis vis argumentorum,& cura argumentationum ad *Minorem* velut ad crinomenon convertenda eſt; illæ nempe rationes ex Locis producendæ, quibus evinci poteſt ſimilitudo facinorum, meritorum, promiſſionum inter Abrahamum, & S. Benedictum. Eam ſi probaveris, *major* ſeipſa fulcitur, conconcluſio autem naturaliter infertur, ac proin totâ quæſtionis victoriâ potiris. Quod ſi autem tam *major*, quàm *minor* AA. ignota foret, utraque crinomenon eſt, & argumentis probanda erit. Paradigma habes in hac formâ. „Vita, quæ exſpoliat bonis perituris, eſt beata: religioſa his exſpoliat: ergo. Nam voluptatibus enutrito Paridi major, ni probes, prorſus incredibilis videbitur, negabítquè *minorem*, cùm videat viros Religioſos edere, bibere, monaſteria in magnas opes aſſurgere &c. Si autem ſingula Crinomena probatum iveris, incipiet Auditor mirari Religionis beatitudinem, eámque ſibi hactenus incognitam obſtupeſcet. Hanc no-

titiam inter prima, & maxima Rhetorices præcepta habeas velim, nec unquam calamum ulli themati apponere præſumas, niſi crinomenon ritè exploratum inveneris. At hæc regula non ſolùm in conſtruendis orationibus tenenda, ſed etiam in uſu Chriæ, diſcurſu familiari, Catecheſi, ac in omni dicendi, ſcribendique genere. Si litterarum, rerum ſacrarum cultores eâ, quâ par eſt, induſtriâ, mentem ad crinomena reflecterent, ſcholæ non tot diſputationibus de lana, ut ajunt, caprinâ perſonarent, colloquia de rebus divinis in ordine noſtro non minus olim frequentiſſima, quàm utiliſſima inter primas vitæ ſpiritualis voluptates cenſerentur.

289. *varietatem argumentationũ* Altera, ut facili methodô tractes argumenta, ratio, eſt argumentationum varietas. Si primam proximam protuliſti Ratiocinatione, alteram effer Enthymemate, tertiam Inductione &c. *Euſebius.* Eſtne una ratio argumentationis alteri præferenda? & quandonam? *Eubulus.* Opportunè quæris, ac reſpondeo

Ratiocinationis. *Ratiocinationem* adhibendam, cùm theſis quædam fuſo calamo, multo ratio-

rationum apparatu, uti evenit in genere demonſtrativo, & deliberativo, explicanda eſt. *Enthymematis* econtra uſus eſt venuſtus, cùm res curſim probanda, & vehementiores figuræ ab ipſa materiæ majeſtate requiruntur. *Collectioni* locus eſt ad perſuadendum, & delectandum, & ad rem quampiam ſenſim augendam. ***Soritem*** uſurpabis, ſi breviter perſtringere, corripere, convincere, aut confundere cupis. A *Summiſſione* graviter exponuntur argumenta, quoties oratori ratio dictorum reddenda, ſuſpicio quædam propulſanda. ***Subjectionem*** adhibe, quoties falſa quædam exiſtimatio aufferenda, & rem quampiam alio prorſus loco ſitam eſſe, ac æſtimetur, probandum eſt. ***Violatione*** graviter argumentaberis, ſi declarandum eſt, adverſarium ſecum pugnare, & ejus argumentis noſtra fulciri. *Oppoſitionem* cole, ſi cupis animi tui benevolentiam Auditori monſtrare, modò propria ejus utilitas, & ſalus non obluctetur. ***Dilemmatis*** pulcherrima praxis eſt, quoties vibranda eſt oratio, miſcendi affectus varii, & negotium quaſi con-

Enthymematis:

Collectionis

Soritis,

Summiſſionis,

Subjectionis,

Violationis,

Oppoſitionis,

Dilemmatis:

ficiendum: hinc amat Dilemma ultimam proximam, & finem orationis.

Epicherematis. *Epicherema* servit ostentationi, exprobrationi, inductioni, uti. Servus es: cur non servis? discipulus es, cur non discis?

Inductionis. *Inductione* tandem uteris, si præ manibus habes thema concitandæ voluptati, & floribus natum.

Verùm in hac re judicio potius, quàm his regulis standum erit. Pro coronide tamen notes velim, ut, velut nullum argumentum afferendum est, nisi à quodam Loco Rhetorico suppeditatum; ita quoque nullum argumentum tractare aggrediaris, antequam illi debitam, & ex circumstantiis expeditissimam speciem argumentationis designaveris.

290 *Transitionem*

Eubulus. Multùm laborat incipientium industria in Transitione, sæpe tamen minore fructu, quàm conatu, quod ejus materiam, & officia minus perspecta habeant. Est ergo nil aliud, ac nexus unius rationis cum altera; via, qua ducitur orator ab argumento primo ad secundum, à secundo ad tertium. Munus Transitionis est unitas, qua oratio, Chria, epistola, vel aliud thema unum velut

corpus

corpus efficiatur, non diſmembratum, ſed junctum ſuis nexibus. Tranſitionem aliam dicimus perfectam, aliam imperfectam. Hæc ſine ambitu verborum ducit ad ſequentem rationem ſimilibus particulis; *Quid quòd; jam verò; præterea; deinde; ad hæc; his adde; his accedit; de his ſatis; pergo ad alteram partem.* Perfecta viam arte aperit, variiſque figuris ad argumenta ſequentia; pro qua ritè formanda reſpice materiem antecedentem, aut auditorem, aut motum animi, aut teipſum, vel tandem auctoritatem dicentium. Si materiam reſpicis prodeunt ſimiles formulæ. 1. Venio nunc ad materiam longè illuſtriorem, quam mihi præbent tot vigilatæ noctes, tot facinora. 2. Diutius tanti momenti negotio inhærere libuiſſet: ſed abripitur mihi animus, lingua, ſenſus ad illam tragœdiam. 3. Hæc tot emolumenta quis voluptate caruiſſe dicat? Si animum advertis ad auditores, ſic nectere licebit. 1. Nolo vos diutius in his ſordibus commemorandis detinere: animum advertite ad ea, quæ &c. 2. Si ad eos mihi ſermo eſſet, qui plus commodis, quàm

Imperfectam,

perfectam: à

materia

auditore

 virtu-

virtutibus gaudent, dicerem illos thesauros &c. Sed &c. Hinc. 3. Sed quò sino me dicendi ardore abripi? Ii vos estis, qui &c. Si perpendis affectum, facilè vinculabis orationem.
affectu
1. Hactenus barbari furorem timuistis, nunc Superbiam execremini. 2. Verùm subitò gaudium omne luctu turbatum sentio. 3. Humani favores gratiæ non diu alludunt, in momento priorem scenam in catastrophen vertunt. Quis in hoc sereno tempestatem timuisset? Si reflectis mentem in temetipsum, similibus formulis transitum facies.
semetipso
1. Pudet diutius his sordibus inhærere. 2. Non sum ego ille, qui his enarrandis possit facundiam afferre. 3. Ab emolumentis Christianæ virtutis, quibus hactenus immorati sumus, trahor ad gloriam omni commodo longè majorem. Tandem si oculos coniicis in testimonium, hoc modo concatenatam efficies orationem.
testimonio.
1. Ne araneus esse videar, qui telam ex se texit, appono domesticam virorum maximorum fidem Odonis, Anselmi &c. qui &c. 2. Hunc sensum amant verba Damiani &c. Damiano subsidiatur Ildephonsus.
3. Fa-

. Facem dictis præfert Bernardus, olem Christus.

Porro nullam est invenire figuram, quæ non nexum insignem præbeat, iti Prolepsis, Dubitatio. Apostrophe. Sed his diutius immorari non sinit compendio præfixa ratio, nec tua exigit utilitas; cùm legendi, & excerpendi studiô ad *T. Industria* possis ipsemet hujusce rei magnum apparatum ex libris convehere. Hoc unum tamen te non celem, pulchram esse connexionem, si in fine antecedentis argumenti ponitur sensus, à quo facilè datur via ad ulteriora argumenta progrediendi.

figurâ quavis.

Eusebius. Quid est Digressio? *Eubulus.* ex Quintil. l. 4. c. 3. *alienæ rei, sed ad utilitatem causæ pertinentis extra ordinem excurrens tractatio.* Frequens est, & pulchra in Confirmatione. Ne autem videatur orator extra cancellos propositæ theseos vitiosè saltitare, certis quibusdam formulis, & ad motum compositis orationem ad viam regiam reducat. *Eusebius.* Da exemplum. *Eubulus.* Si tibi excurrendum sit insigni panegyri in Divinam Psalmodiam, velísque sacra odea cælestibus

291 Digressionem

tibus philomelis replere; argumenta petes à definitione, ab effectis, à materia, ab exemplis. Ut igitur materiam hoc est psalmos extollas, egregiè digrediéris in laudes Davidis Psalmorum auctorem. Ne autem videaris potius de Davide, quàm Psalmodia panegyrim componere, simili quadam formâ vel per Correctionem, vel aliam figuram redeundum tibi est ad thesin. ***Verùm à Davide ad Davidis divina carmina redeo.*** Quandoque digressionem reducimus in tramitem illam dissimulandô simili modô.

„ Videbar nonnullis longa hac „Davidicæ laudis commemoratione „propositæ quæstionis filum amisisse. „At si fidem vestram, filum teneo. „Audistis Davidis, cùm præteritæ „vitæ noxas detestatur, gemitus; „audistis, cùm inimicis ignoscit, for„titudinem; audistis, cùm Deum „extollit, præconia. Virum hunc „tam contritum, tam fortem, tam „flagrantem in sacro induimus odeo, „voce, mente, totiúsque corporis „situ, cùm psalmum 50. cantamus, „cùm &c. O beatam psalmodiam!

ô bea-

„ ô beatitudinem psallentium longè „maximam !

§. VI.

De Amplificatione.

292 *Amplificationem*

E*ubulus.* Semper tibi ob oculos versetur Eusebi finis Rhetorices, ut intellectum audientium persuadeas, & voluntatem moveas. Illud assequéris gravibus argumentis, hoc appositâ Amplificatione; quæ à Cicerone dicitur gravior quædam affirmatio motu animorum concilians in dicendo fidem. Unde argumentum simpliciter ex Loco prolatum sæpe modicæ virtutis videbitur, ubi autem amplificatione auctum, & debitis figuris ornatum fuerit, vim ad commovendos animos maximam indipiscetur. Est autem amplificatio *verborum* duplex rerum, & verborum; hac argumentum gravium, & graviter penetrantium vocum delectu augemus. Vim hanc variô modô verbis conciliare possumus.

1. Ut si aptis epithetis substanti- *usu* vum quoddam convestias, & quod *epithetorum* paucis voculis: ***Petrus est pius***, similibus efformes: Petrus insigni religio-

ne

ne multis argumentis probata, multisque ærumnis exercita. *Est pax.* faustissimam tot desideriis suspiratam, tam multo civium Sanguine, cladibusque emptam pacem gratulamur.

genitivorum 2. Junge substantivo aliud in genitivô, ac cuique suum aptum epithetum adde. *Aspice monasterium.* Contuere mihi pristinam cujusdam sanctissimi monasterii religionem. *Febrescit diu.* Diuturnis febrium ardoribus exuritur.

verborum, 3. Quod aliàs per verba exprimendum foret, in substantiva converte, & substantivis sic conversis adde beneficio figuræ Distributionis iterum appositum verbum.

Eum e.g. qui terret patriam, dic terrorem patriæ; eum, qui evertit probitatem, dic eversorem probitatis. Si jam addis genuinum verbum, prodit gravis amplificandi vis, e. g. illum patriæ terrorem quis non sensit? illum probitatis eversorem quis non caveat?

293. *enumeratione partium* 4. Quod alius unico verbo exprimeret, tu profer rei verbô significatæ partibus. e. g. Summus rerum sacrarum

rum in terris Antiſtes, purpuratorum P P. cœtus, omnis Præſulum univerſitas, omnis ordo, ſexus, ætas luget: pro; Eccleſia luget.

5. Coacerva qualitates, quas alicui ſubjecto ineſſe cognoſcis, & eas ordine recenſe. Sic cum malæ reipublicæ ineſſe videas ſuperbiam, luxuriam, dic. „Peſſimam rempublicam! „tumet faſtu, diffluit luxu, inſcitiâ re„gitur, vitiis perditur. Nulla in Su„peros religio, in majores pietas, in „oppreſſos æquitas. Itur in effræna„tam avaritiam. Pietas habetur, eſſe „impium. Audacia, & agendi liber„tas cenſetur fortitudo. *formarum*

6. Hæc formarum enumeratio multùm auget orationem, ſi earum, quæ hoc verſu clauduntur: 1. quis, 2. quid, 3. ubi, 4. quibus auxiliis 5. cur, 6. quomodo, 7. quando, adjuncta recenſentur. En facem ex priori theſi. *adjunctorum*

„Qui 1. dignitate, ii & improbitate „majores ſunt, exemplis 2. peſſimis in „omne nefas rudem plebeculam tra„hunt. Hinc nulla in 3. publico modes„tia, in curia juſtitia, in templo reve„rentia. Opes 4. trahuntur ad ſuper„biam, robur ad vim, fortuna quæli„bet ad nefas, proſpera ad jactantiam, „adverſa

„adverſa ad rebellionem. Atque 5. „hæc à majoribus tolerantur, à mi-„noribus exercentur, ne unquam „chriſtiana in Deum, in magiſtros, „in parentes religio, pietas, ac ob-„ſervantia refloreſcere poſſit. Con-„niventiâ 6. hac omnia mala conci-„piuntur, impunitate naſcuntur, e-„xemplis depravatiſſimis aluntur, „donec audaciâ in commune reipub-„licæ exitium adoleſcant. Et interea „7. cùm hæc ſine metu patrantur, „Divina Nemeſis armatur ad vindic-„tam, bellum ſuas circumfert fera-„les faces, fames exhaurit horrea, „peſtis è vicino imminens ultimam „patriæ cladem comminatur.

294 *Helleniſmo adjectivorum*

7. Verba exornantur Helleniſmô, qui apud Latinos varius eſt, & frequens. Primus eſt adjectivorum, isque iterum multiplex, uti cùm 1. adjectivum neutrum in adverbium vertis accentu notatum e. g. *Horrendùm clamat*, *immanè furit*; pro *horrendè*, & *immaniter*. 2. cùm ponis rectum pro adverbio, uti ſubitus adeſt, atrox urget; pro *ſubitò*, & *atrociter*. 3. ſi apponis ſubſtantivo maſculino, aut fæminino neutrum ſubaudiendo *aliquid*. *tutiſſimum* matura pœniten-

tia

tia eſt, *ſaluberrimum* reipublicæ litterarum uſus; *inſalubre* corpori gula; pro *eſt aliquid valde tutum pœnitentia* &c. 4. ſi ponis ipſum adjectivum pro ſubſtantivo: hoc *diuturnum ſerenum* horrenda paulò poſt tempeſtate turbatum vidimus pro *ſerenum tempus.* Sic ſumimus æquum, verum, bonum, honeſtum pro æquitate, veritate, bonitate, honeſtate. 5. ſi effers adjectivum cum genitivo, ut, *cæcus futuri*, *nimius linguæ*, *parcus ſermonis*, pro incurio, loquace, & tenace. 6. cùm jungis adjectivo infinitivum, ut igneus iraſci, promptus obedire; pro igneus ad iraſcendum. 7. cùm ponis adjectivum neutrum in plurali, ut plana camporum, devia ſylvarum.

Alter Helleniſmus conſiſtit in ſubſtantivis, uti ſi illa inter duos genitivos collocamus; fueras infamium tu quondam dux, faxque latronum. *ſubſtantivorum*

Ultima ſpecies conſiſtit in verbis admirandi, appetendi, dominandi, conſequendi, privandi, participandi, aberrandi, incipiendi, abſtinendi, & amandi, quæ, cùm apud Græcos genitivum regant, cum decore etiam latini frequenter imitantur; *verborum*

 ajúntq;

ajúntque abſtine cupiditatum. Quando tandem dominaberis tui?

Cicero ad ritè conſtituendam amplificationem exigit verba, quæ vim habeant illuſtrandi, & quæ non abhorreant ab uſu, ſed quæ ſint plena, gravia, ſonantia, juncta, facta, cognominata, non vulgata, ſuperlata, præ omnibus autem translata, & ſoluta nonnunquam nexu, ut plura videantur.

295. *gravium.* Sic graviùs explicueris, ſi quempiam raptorem dixeris, ac ſi nudè voces furem. *ſonantium.* Sic ſonantiùs eſt *conſceleratiſſimus*, *contrucidabis &c.* quàm ſceleratus, trucidabis. *illuſtrium.* Illuſtrant verba orationem, ſi ingenuis epithetis producuntur. Plena verba pronuntiationi, & linguæ ſufficientem præbent materiam, ne ſit oratio hiulca. *abhorrentium à vulgò* Non vulgaria ſunt, quæ theſin ſupracommunem uſum efferunt. Superlata ſunt frequentes ſuperlativi, ac tandem diſſoluta ſunt, cùm ſingulis ſubſtantivis ſuum reſpondet verbum ſine vinculo & e. g. bona direpta, templa profanata, cives proſcripti, Sacrorum Antiſtites contrucidati ſunt.

Alia,

Alia, quæ hujus loci digna notatu forent, facilè disces ex usu frequentis lectionis. *Eusebius.* Quî utiliter in hunc finem instituenda lectio? *Eubulus.* gemina industriâ. Imprimis si legenti verba occurrunt singulari decore fulgentia, causam, & fontem, ex quo suum decorem hauserunt, inquire, & parumper clauso libro periculum fac, an in simili argumento possis eundem ornatum producere. Præterea exornando stylo, & comparandæ genuinæ Latinitati servit totus vagus *Flores*, cujus beneficio, & sedulô usu facilè stylum è plebeja, & trivia vulgi ruditate licebit efferre. Si ex me quæras, quid significet homo obediens, en tibi ex *O flores* homo, qui è superiorum præceptis, nutúque omnes vitæ suæ rationes semper suspensas habuit. Adi n. 97.

Eusebius. Placet consilium. Quid autem est amplificatio rerum? *Eubulus.* Est gravior quædam affirmatio, qua non jam verba comuntur, sed res ipsa graviter sententiis & augetur, & confirmatur. Cúmque ipsa hæc amplificatio sit quædam argumentatio, ex iis planè locis pe- 296. *Rerum* *triplicemá*

tenda erit, ex quibus eruuntur argumenta, ac proin tot ſtatuendæ forent ſpecies amplificandi, quot cenſentur Loci Rhetorici. Ego tamen pro faciliori uſu ad tres claſſes tibi omnes reduco in Congeriem nempe, Incrementum, & Ratiocinationem.

Congerie per

Euſebius. Quid eſt Congeries? ***Eubulus.*** Amplificatio ex uno, & eodem Loco repetita, ut Definitiones conglobatæ, conſequentium frequentatio, contrariarum, & inter ſe diſſimilium rerum pugna, cauſarum, Effectorum, & Adjunctorum artis ſtudio adducta enumeratio. ***Euſebius.*** Da dictorum exemplum. ***Eubulus.*** Congere varias definitiones, & ſubſtantiva, etiam ſinonyma. Ne autem ipſo conatu fatiſcas, recole, quæ ſupra n. 177. & ſeq. de Definitione diximus. Exemplum præbebit ***otium*** per omnes amplificandi ſpecies.

Definitiones conglobatas

„ Otium dixerunt alii morbum fœdiſſimum, lethargum incurabilem. „Dicam ego malum malorum peſſimum, juventutis corruptelam, ſenectutis fæculentiſſimum ſepulchrũ, „venenum bonarum artium, exterminium virtutis.

Eu-

Eusebius. Quomodo instituenda est Congeries consequentium ? *Eubulus* Discute singula quæque, quæ otium consequi solent, & quæ ad augendam thesin apta censueris, affer hoc modô. *frequentationem Consequentium*

„Ubi otium, ibi jacet vir-
„tutis studium, litteris nulla, ven-
„tri omnis impenditur cura, dilapi-
„datur ætatis flos, & patens ad om-
„ne nefas via panditur, salus perdi-
„tur, pessimis exemplis quisque homi-
„num cœtus è sum̃o felicitatis vertice
„in exitium miserrimè præcipitatur.

297. Eadem est ratio in exaggerandis contrariis, ac oratori frequentissima. En formam. *pugnam contrariorum*

„Nam quidquid probis ad ho-
„nestatis exercitia servit, id in-
„ertium hominum colluvies ad im-
„pia consilia cogit. Illi tempus pre-
„cibus, hi lusibus, illi diem labori,
„hi somno; illi horam honestæ re-
„laxationi, hi scurrilitati menses
„integros impendunt. In suam sce-
„lestam societatem ubi innocentem
„juventutem pertraxerint, quid mi-
„rum, si pietas transeat in impie-
„tatem? pudor in impudentiam? di-
„ligentia in ignaviam? comitas in
„barbariem? litterarum amor in in-

 scitiam?

„ſcitiam ? ac denique honeſtas om-
„nis in ſylveſtres mores, improbi-
„tatémque degeneret ?

enumerationem causarum *Euſebius.* Quomodo theſin poſitam à cauſis amplificem ? *Eubulus.* producito cauſas, ex quibus manifeſtum fiat, otium eſſe nocentiſſimum qualis eſt incuria futuri, mala ſocietas &c.

„Iners námque ignavorum homi-
„num genus ſolis ſenſibus, & volupta-
„tum illecebris regitur, ratione non
„ducitur, ſtertit, quoties libet, ac per-
„verſiſſima exiſtimatione autumat,
„tum ſe felicitatem adeptum, cùm
„ſe videt omni labore exoneratum.

298 Effectuum. Cupis jam genuinis coloribus otium depingere, indaga ejusdem fædiſſimos effectus; talis eſt luxuria &c.

„Vultis ſcire, cur jam nobiliſſimi
„juvenes muſæa execrentur, ut ergaſ-
„tula ? verſentur ſæpius in popinis,
„quàm ſcholis, libros negligant,
„chartas volvant ? Has artes docuit,
„inertia. Quis floridam ætatem red-
„dit parentibus pervicacem, magiſ-
„tris inobedientem, Deo impiam ?
„reddit ignavia. Non poſſum omnes
„hujus malæ matris peſſimas proles
„recenſere. Libidinem gignit, geni-
„tam

„tam nutrit, nutritã ad cõmune integræ familiæ dedecus, totiusque „reipublicæ probrum non raró educat, sensum, totumque hominem „terræ affigit; ac animum, ne se „luto suo evolvere possit, miserè captivat.

Ut autem ab Adjunctis amplifices damna otij, vide quænam mala causet in certis personis, determinatis locis &c. *adjunctorum*

„Da mihi hominem, qui suo in „otio jam cœpit computrescere. Si „domi residet, torpet; si plateam obit, circumspicit; si templum adit, „garrit. Rebus vanis perdit horas, sibi inutilis, aliis gravis, Deo execrabilis. Nemo in cella sua Religiosus tam sanctus, nemo in bello „miles tam gloriosus, nemo in Academia Doctor tam sapiens, nemo in „vasto hoc orbe homo tam probus, „quem otium sanctitate, gloria, sapientia, & probitate dispoliare non „possit.

Perpende, quibusnam rebus subjecta tua thesis similis esse possit, ac inventas cum selectu confer ad usum tuum. Sic otium simile est tineæ, paralysi, paludi &c. proin tali modô amplifices. **299.** *varietatem Similitudinũ.*

 „Otium

„Otium tinea est nocentissima: „nervum, roburque omne animi exedit. Paralysis est: intellectum hebetat, voluntatem infirmat, totum „hominem torpori velut lecto affigit, „ut se nec honestate regi, nec bonis „moveri, nec malis terreri sinat. Spurcissima palus est, fœdissimæ famæ „fœtorem latè spargens, in qua si „quis semel hæserit, è luto, & scelerum cœnô ægrè admodum emerget.

Parem vim habet Exemplorum, & Comparationum coacervatio. Do formam.

„Sed quid ego tineæ, minutissimo „animalculo, paralysi, unico morbo, „paludi paucis nocenti, otium comparo? Malum est his malis omnibus pejus, nulli, quos capit, parcit. „Israëlitidis gens nationum felicissima, „cùm otio vacat, in idololatriam corruit. David Regum sanctissimus, cùm, „per otium incautos oculos in prohibitæ formæ illecebras emittit, regiam purpuram gemino scelere adulterij, & homicidij conspurcat. Salomon hominum sapientissimus cùm „se ab otio in gynæceum trahi sinit, „inter fœminas dementatus est. O

quot

„quot tum in ſacris, cum in profa-
„nis faſtis deflemus heroës, Doctores,
„viróſque ſanctiſſimos, quos otium
„gloriâ, ſapientiâ, & ſanctimoniâ exu-
„it, nudavit, & ſpoliavit!

Comparatio tanti eſt oratoribus, ut eam novam ſpeciem Amplificationis conſtituant: ego tamen, cùm præter naturam Loci Rhetorici nil ſingulare habeat, hîc in ordinem redegi inter alios Locos, licet eam tibi, præ cæteris commendatam velim tum ob ſplendorem, quem confert orationi, cum ob vim, quam præbet argumentis. Formam habes in otio cum aliis vitiis collato. 300. *Comparationum*

„Quidquid in aliis vitiis horren-
„dum eſt, invenitur in otio. Inflat
„ut ſuperbia, dementat ut crapula,
„infamat ut luxuria. Quid quòd mul-
„ta ſunt, quæ quolibet alio vitiô red-
„dunt otium deteſtabilius. Helluo
„quidam gulæ illecebris non abſumit
„integros dies, Endymion autem di-
„lapidat integros annos. Superbum
„quempiam, iratum, invidum ſæpe
„facili operâ ad probos mores redu-
„cimus. At concionare otioſo: dor-
„mit; terreto minis: ſpernit; honeſ-
„tatem propone: negligit. Alia vitia

„morbi ſunt, otium peſtis. Multos „avaritiæ ſordes contaminant, non „tamen hærent in luxuriæ cœno. At „otium omnium noxarum major eſt: „parit rerum divinarum nauſeam, ho„neſtatis contemptum luxuriam, gu„lam, & omnium malorum colluvi„ m.

301. *Incremento*

Ex his vides Euſebi quantam amplificandi à *congerie* præbeat materiam quilibet Locus. Unde cæteris non immoror, ſed ad *Incrementum* pergo.

Euſebius. Quid eſt *Incrementum*? *Eubulus*. Ex Quintiliano l. 8. c. 4. eſt amplificatio, quâ per gradus creſcit oratio, & ad ſummum pervenit. *Euſebius*. Quotuplex eſt? *Eubulus* Duplex: primi munus eſt in curſu, & contextu orationis ſemper priori aliquid majus inferre: ſecundi eſt, ſemper ea, quæ minora ſunt, magna efficere, ut quod ultimo loco poni debet, maximum videatur. Illud inferens, hoc augens dicamus. Utriúſque exemplum iterum præbebit otium.

inferente

„O quot mala gignit hæc peſſima „mater, ſi tempus duntaxat, quod „ſemper probis rerum arbitris maxi„mi viſum eſt, perpendimus! Intuére. „quam

„quàm inſipienter optimum vitæ ſuæ „theſaurum otioſus dilapidet! horas, „& dies perdit; hebdomades,& men- „ſes ſine omni fructu tranſigit; annos „ſaluti, & virtutibus conceſſos jocis, „& luſibus abſumit. O rem nefaſ- „tam! O inſaniam horridam! O ſce- „lus infandum! tempus, quod alij „tranſcribunt bonis operibus, ille ad „gulæ, ſenſuumque omnium impias „illecebras trahit. O quis numeret „illas horas, quas ille jactantiâ, & „detractione miſerrimè prodigit. Nul- „lam ulli Sanctorum, Deiparæ, Dei- „que ipſius feſtivitati reverentiam ha- „bet, ſed quò quisque dies ſanctior „habetur, eò majoribus ſceleribus ſe „conſpurcat. Quid ergo mirum, ſi „conſceleratiſſima hæc temporis pro- „digalitas æternis ſupliciis puniatur?

„Si paucorum menſium brevis pro- „fuſio meretur apud homines infami- „am, & apud Deum pœnam; ſi uni- „ca hora peccatis impenſa plectitur „in divino tribunali ſuppliciorum æ- „ternitate: quid dicam de eo, qui „potiorem vitæ partem vanis operi- „bus, integros annos ſine ulla ſalutis „curâ, totam denique vitam in ſce- „leribus exegit?

Fini-

302. *Ratiocinatione*

Finimus tandem hoc caputRatiocinatione, qua unum augemus, ut alterum crescat. *Eusebius.* Qua id ratione aggrediar? *Eubulus.* Si cupis extollere fortitudinem Martyrum, exaggera prius crudelitatem tyrannorum. Ut laudes ducis virtutem, producito prius belli, & periculi magnitudinem. Cumque illorum crudelitatem, hujus magnitudinem graphicè descripseris, facilè cujusdam Martyris fortitudinem, aut ducis virtutem bellicam ob oculos pones. Atque id extendes ad mille alia exempla. Modum his habe.

„Atque hæc non ad exagge-„rationem, sed ad confirmandam „veritatem dicta esse è mille testibus „unum Salomonem producamus. Hic „ille vir fuit, quem Deus divina pro-„pe sapientiâ insignivit, quem orbis „adoravit, ut oraculum, quem Supe-„ri extulerunt laudibus. Hic fuit, cui „omnis felicitas visa est famulari, à „quo virtus non solùm culta, sed eti-„am in amplissimi regni fines propa-„gata dubium effecit, an plus Salo-„mon virtuti, an virtus Salomoni de-„beret. At ubi otium in aulam irre-„pere, horæ consuetis ad Deum pre-„cibus

„cibus negligi, dies regni curis vacuæ dilabi cœperunt. O quantùm „à ſe defecit hoc orbis, & felicitatis „oraculum! Salomoni jam non cum „Superis, ſed cum fæminis negoti„um; qui ab otio liber vero Deo tem„plum ſtruxit, otiô captus aris „idola impoſuit. Sapientiſſimus otiô „infatuatus eſt, feliciſſimus otiô in „graviſſima peccata, queis nulla in„felicitas major, præcipitatus eſt &c.

Euſebius. Placent, quæ dicis: ſed nulláne datur regula generalis amplificandi? *Eubulus.* Datur: eaque eſt diviſio. Quæcunque velis efferre, ante omnia divide, & ſingula, quæ diviſa ſunt nunc ſuis ſubſtantivis, nunc adverbiis, nunc adjectivis auge. Ut autem apta ſint ſingula, mentem adverte ad Locum, in quo theſis tua poſita eſt e. g. ut amplifices mihi hanc propoſitionem. ***Superbia pervertit hominem***; inquire, quid velis dividere, ***ſuperbia***, aut ***pervertit***, an ***hominem***. Si ***ſuperbia*** placet: cùm ſit ſpecies peccati ſubalterna, divides eam ex Loco ***Speciei*** in ſuas ſpecies infimas veluti in jactantiam, hypocriſin. Si ***pervertit*** cupis, cùm ſit ex *Effectis*, divide hujus 303. *Diviſione*

hujus effectus. Si *hominem* velis augere; cùm ſit in *Adjunctis*, affer adjuncta perſonarum, loci &c. Præcipuè autem notes velim unum Locum Rhetoricum eſſe mutum, niſi ab alio vocalis reddatur, unum eſſe in quovis argumento principalem, alterum auxiliarem. Unde licet Superbia ſit in *Specie*, hac tamen ſolâ non amplificabis ſuperbiam, niſi in auxilium advoces Enumerationem partium. Ex Specie inſulſa hæc prodit amplificatio. *Jactantia, hypocriſis &c. pervertit hominem.* Accedat jam Enumeratio, & prodibit longè maximus decor.

Grande malum ſuperbia! linguam jactantiâ, mentem vanâ gloriâ, membra quæque, viſum, inceſſum, omnia hypocriſi evertit. Euſebius. Sed unde diſcere poſſum, quinam Locus in auxilium ſit accerſendus? *Eubulus.* Ex judicio, maximè connexione, ipſa Locorum cognatione, & præcipuè ex affectu, qui tractatur. Ut ergo ex effectis tuum *pervertit* amplifices, his egregiam operam præſtabunt Conjugata e. g. Si dicis. *Superbus alios contemnit*, habes effectum. Si jubes, ut ſu-
an-

am vim conjugata quoque conferant, addis: ***omnium tamen contemptu ipse dignissimus.*** Ut autem usus hujus illustrissimæ, quam ego inter præcipuas censeo, regulæ sit expeditus, in quovis argumento unum Locum, aut Sedem ut dominam, alterum ut famulam habe. Dominare per Orationem solent Causæ præsertim finalis, Effecta, Antecedentia,& Consequentia, Repugnantia; famulari autem Similitudo, Partitio, & ferme semper Adjuncta. Hæc tamen non ita existimes, quasi Locus, qui semel in uno proximo argumento cœpit famulari, in altero non possit dominari. Sic hanc thesin ***homo est miser***, egregiè deducent Adjuncta locorum, si loca dividas Partitione: prodibit enim hæc similis oratio.

Adi mecum aulas principum, ambitione, campos militares, cædibus; humiles casas, laboribus agitantur &c. Denique materiem illustri liberalitate suggerunt amplificationi quæque vehementiores figuræ, Apostrophe Communicatio, Complexio, Conversio, Ethopœja, Exclamatio, Hypotyposis, Interroga- *Figuris vehementibus*

tio

tio, Prosopopœja, Repetitio, Subjectio, Sustentatio. Mens nonnunquam etiam reflectenda est ad illum versum. Quis, quid, ubi &c.

CAPUT VI.

De Ornatu Sacræ Architectonices
seu de
Elocutione

304. *Exornare Orationem.*

Eubulus. Ubi tyro Architectonices, quā nobis ceu prototypō proposuimus, didicit cujusdam fabricæ partes ruditer educere, animum ocyùs convertit, ut quæ constructa sunt, artis beneficio discat exornare. Didicisti hactenus Eusebi argumenta quasi in fabricam efferre. Ut igitur etiam decorem, qui animi oculos rapiat, addere perdiscas, hoc, & sequenti capite docebo. *Eusebius*. In quo consistit iste decor? *Eubulus*. In Elocutione, sine qua omnis Inventio, & reliquus Rhetorices conatus collabitur. *Eusebius*. Quid est Elocutio? *Eubulus*. Quod in Regio palatio columnati tapetes, opere topiario descripta peripetasmata, pensilis aulæorum series, belluata peristromata, au-

ré

rô denique, ac gemmis fulgens pulchritudo. *Eusebius.* Qua autem in re sita est hæc pulchritudo? *Eubulus.* In puritate Latinitatis, quam dat Grammatica; & suavitate Figurarum, quam præbet Rhetorica. Illam cùm calleas, hæc sola nostræ disquisitioni relinquitur. *Eusebius.* Quid autem est Figura? *Eubulus.* Est ornatus sermonis à communi loquendi consuetudine remotus. *Eusebius.* Quotuplex est figura? *Eubulus.* Duplex verborum, & Sententiarum: illa in solis verbis continetur, ista se in integras sententias expandit: illa tollitur, si verbum mutaveris, hæc permanet, quibuscunque verbis utare. Nam: *prata rident* solo *rident* sublatô, evertitur decor. Econtra e. g. in figura Interrogationis etsi alia verba substituas, manebit tamen *Interrogatio.* *Eusebius.* Quotuplex figura verborum? *Eubulus.* Duplex: propriæ, & translatæ significationis; illam simpliciter figuram vocitamus, hanc tropum. *Eusebius.* Quot sunt figuræ Sententiarum? *Eubulus.* viginti quinque. Ut autem videas, quàm illustria hæc sint in

palatio Eloquentiæ aulæa, singulas ordine inſpiciamus.

§. I.

Exhibentur peripetaſmata Troporum.

305. *Tropis.*

E*vſebius.* Quid eſt tropus? *Eubulus.* Eſt verbi, vel ſermonis à propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio, uti cùm vites gemare dicimus, aut luxuriari campos. *Euſebius.* Quot ſunt tropi? *Eubulus.* duodecim; quorum ſeptem in uno verbo, quinque in oratione conſiſtunt. Illi ſunt Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Antonomaſia, Onomatopœja, Catachreſis, & Metalepſis. Hi ſunt Allegoria, Periphraſis, Hyperbaton, Hyperbole, & Ironia.

Metaphorâ

I. *Euſebius.* Quid eſt Metaphora? *Eubulus.* tropus, quo ex ſimili ſimile ducitur omiſſâ particulâ aſſimilante *ſicut*, *inſtar* &c. e. g. *Paulus pugnat inſtar leonis.* ſimilitudo eſt. *Paulus in campo Martis leo eſt*, efficit Metaphoram. *Euſebius.* Ex quibus rebus ducitur? *Eubulus.* Ex omnibus, ex quibus Similitudo petitur, uti ſunt omnia elementa, ſenſus omnes, Cœlum, Deus ipſe, & Divina Attributa

ducta ex rebus quibusvis

buta. Eæ tamen res ad quatuor genera reducuntur.

1. Cùm verbum uni animato proprium tribuis alteri. Sic homo, & leo sunt duo animata. Leoni proprium est rugire, homini gerere sceptra. Si ergo de homine irato dicis: *rugit*; aut de leone, inter *animalia sceptra gerit*, efficis primum genus Metaphoræ. *animatis ad animatas.*

2. Cùm verbum uni inanimatæ proprium deducis ad aliam rem inanimatam. Cloaca & luxuria sunt duæ res inanimatæ, similes tamen in aliquo. Dic ergo *luxuriam cloacam*, ac in ea submergi Sardanapalos, & interire. Similia sunt. *Altissimas egit S. Benedicti virtus radices.* En arbor, & virtus. *inanimatis ad inanimatas*

3. Cùm verbum uni inanimatæ rei proprium derivas ad animatam; *uti si heroës dicas fulmina belli*; *aut malos socios syrtes innocentiæ.* *aniamatas.*

4. denique genus, & præstantissimum est, si id, quod convenit animatæ rei, transcribis inanimatæ, quale est: *animatis ad inanimatas.*

Cypressus princeps arborum, rosa regina florum, pontem indignatur fluvius, mare irascitur, ignis bella ciet in

 im-

impios, äer se armat contra sceleratos. Nam nomen principis, reginæ, indignantis soli animatæ rei, hoc est, homini convenit. Universim hoc metaphoræ genus insignem decorem conciliat orationi, & viam pandit vehementioribus figuris. e. g. *Vos sylvarum latebræ, vos domestici parietes &c. quoties vidistis illam catastrophen, quam impietas adornavit, confecit furor?*

306. *Synecdoche*

II. Synecdoche mirificè locupletat orationem, ac insigniter exornat. *Eusebius.* Quibus, & quot modis construitur? *Eubulus.* octo.

sumente partem pro toto.

1. Sume partem rei pro totâ, veluti proram pro navi, tectum pro domo *agrum* e. g. *Romanum pro provincia Romana.* Nota tamen, ut pars, quam loco totius ponis, non sit vilis, velut angulus pro domo foret; & pars non sit generalis pluribus conveniens, ut lignum, aut lapides in domo.

totum pro parte

2. Considera cujusdam rei partes, & cùm subjecta materia exegerit unicam partem, rem totam affer e. g. *extinguendo incendio affusus Tyberis ab igne exarmatur. Montem imponunt monti* pro: partem montis.

3. Par

3. Par decor ineſt huic tropo, ſi unum pro pluribus ſumimus. Uti *Cùm cæleſtis Induperator Benedictus militem ad ſacrum bellum legeret.* Aut. *Hiſpanus ingenti prælio cæſus à Germano eſt.* Valet in Sacris plurimùm. *Iſräelita cum* 40. *annis eremum peragrâſſet &c.* pro Iſraëlitide gente. Sumitur etiam unius nomen pro omnibus. Uti *Alexander* M. *orbem ſubjecit ſuo imperio, Benedictus Chriſto.* *unum pro pluribus*

4. Non minus virtutis, & decoris habet, ſi pro uno plures afferimus, uti cùm Cicero de ſe ſolo loquens ait: *populo impoſuimus, & Oratores viſi ſumus.* *plures pro uno*

5. Par priori eſt, ſi accipimus pro genere ſpeciem; uti ſi pro *omne animal evaſit communem cataclyſmum*, dicas: Homo, leo, aquila evaſit. Hæc Synecdoches ratio præbet materiam Partitioni. *ſpeciem pro genere*

6. Pro Specie colloca genus; ſic pro S. Joannis *aquila alitem*, & pro S. Corbiniani *urſo animal* cum decore ponimus, ne in contextu alicujus narrationis cogamur ſpeciem v. g. Urſum nimis frequenter repetere. *genus pro ſpecie*

materiam pro re ipsa.

7. Accipimus materiam, ex qua res quæpiam confecta est, pro ipsa re, uti *ferrum*, aut calybem pro ense, *pinum* pro navi, *aurum* pro corona, & dicimus: regiô caput rutilat aurô.

antecedentia pro consequentibus

8. Tandem producimus antecedentia pro consequentibus, ut *vixit*, pro mortuus est; *fuimus Troës*, pro Troja periit. Sed hæc antecedentia rara sunt Oratoribus, & amica Poëtis.

307.
Metonymia

III. *Eusebius* Quot sunt species Metonymiæ? *Eubulus* Quinque.

producente causam pro effectis.

1. Si sumis causam pro effectis; inventorem rei, pro re inventa. Uti si dicas pro *bello* Martem, pro *pane* Cererem, pro *legi Regulam S. Benedicti*: legi S. Benedictum.

effecta pro causis per substantiva.

2. Hæc gemino modo formari potest; si effecta per substantivum, aut adjectivum exprimuntur loco causæ. Primi exemplum est. Sacrilegium, scelus &c. deprehensum est. Constantia coronata est, castitas celebrata, furor damnatus: effrænata cupiditas evertit quosque, *pro sacrilegus, sceleratus deprehensus est, constantes coronati, casti celebrati, efferi damna-*

ti

ti sunt. Egregia sunt similia. Insignem triumphum de infero tyranno retulit virginitas, cùm in senticetum Benedictus se abjiceret. Secundi exempla sunt. Tristissima hyems, acerba nox, jucunda celebritas, pallida mors, curva senectus, rosea juventa: *pro hyems tristitiam causans &c.*

adjectiva.

3. Species efformatur, cùm nomina locis propria pro incolis locorum usurpas: uti Italia pro *Italis*, Augusta pro *Augustanis*, sæculum pro *viventibus in sæculo*; schola *pro discipulis.* Ex his cum ornatu dicis Italia luget. Augusta laceratur à Lutheri dogmatis. Sæculum 17. in litteris pigritat. Schola S. Anselmi defendit Immac. B. V. Conceptionem. Domus Austriaca murum objicit hostibus fidei.

continens pro contento.

4. Efficis, si ponis pro re possessa possessorem, pro exercitu ducem, pro classe architallassum. Uti. Jam proximus ardet Ucalegon; pro *Ucalegontis domô.* Ottomannus tyrañus cæsus est; *pro Turcis.* Columbus submersus est; *pro classe ejus.*

possessorem pro possessione.

5. tandem species educitur, si signum pro re signata collocas: uti

signum pro signato

ſunt, ſi olivam *pro pace*, ſagum *pro bello*, togam *pro doctrina*, clavum *pro magiſtratu*, faſces *pro dignitate uſurpas.* Metonymia ornat orationem, ſternit viam Amplificationi, præcipuè autem tertia ſpecies, ſi Partitione augetur, per Hypotipoſin rem quampiam graviter oculis ſubjicit.

308. *Antonomaſia*

IV. *Euſebius.* Quid eſt Antonomaſia? *Eubulus* Eſt tropus, quô per nomen à genere, patriâ, ſcientiâ, arte, inſignibus factis, & aliis qualitatibus, adjunctisque ſumptum deſignatur cujusdam ſingularis perſonæ in præfatis rebus excellentia Sic vocas Ciceronem Romanæ eloquentiæ Principem; Livium Hiſtoriæ Parentem; S. Bernardum Mellifluum Doctorem, Ducem Angliæ Anglum &c. Porro eruditam facit orationem Antonomaſia, ſi nomen proprium pro communi uſurpamus, uti Elpenorem pro ebrio, Milonem pro vorace, Crœſum pro divite, Helenam pro pulchra fæmina, venerem pro impura; Daphnen pro caſta &c.

Onomatopœja.

V. *Euſebius.* Illuſtria hæc ſunt. *Eub.* Sed abludunt à ſplendore Onomatopœja, qua nomen fingimus, ut ſibilare, mugire & nos n. 162. gulam *ille-*

illecebrantem diximus &c. Catachresis, qua abutimur verbo ſimili, & propinquo loco certi, & proprii; uti vita hominis brevis eſt, longum conſilium, puſilla anima, multus ſermo, grandis oratio, curta ſupellex; Metalepſis, quæ ab alio ad aliud viam aperit; velut eſt illud Virgilii. Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas. Unde uſus earum rarus eſto, & nunquam adhibendus, niſi ſe ultro inſerant orationi. *Catachreſi* *Metalepſi.*

VI. *Euſebius.* Quid eſt Allegoria? *Eubulus.* continuata Metaphora. Hinc eædem, quæ illi, etiam iſti ſunt regulæ. Si perſecutionem tyrannorum vocas tempeſtatem, efformas Metaphoram; ſi pertexis ipſam, tranſiet in Allegoriam. e. g. Quid memorem horrendam, quam Neronis, Diocletiani, ac Juliani furiæ concitârunt tempeſtatem? O quoties decumanis procellis Eccleſiæ navicula concuſſa videbatur naufragari! Evaſit tamen poſitis tyrannorum Euris, Boreiſque in tranquillæ pacis portum. Agitari nempe poteſt hæc Navis, non ſubmergi. *Euſebius.* Quid agendum eſt ne allegoria vitium incurrat? *Eubulus.* miſcenda nonnunquam 309 *Allegoria*

ſunt verbis translatis propria, veluti in dato exemplo *Eccleſiæ navicula.*

Præterea quo genere translationis cœpiſti, eodem pergas. e. g. Si allegoriâ fæcundi horti cœpiſti deſcribere animam in gratiâ conſtitutam, nihil debes afferre de cœlo, aut mari, igne &c.

Periphraſi,

VII. *Euſebius.* Quid eſt Periphraſis, & Hyperbaton? *Eubulus.* Eſt tropus, quo id, quod paucis exprimi potuiſſet, pluribus circumſcribimus decoris, aut motûs gratiâ. Eſt frequens Poëtis, & oratoribus, his tamen ſtrictior. Sic quod alius paucis dicit: *pius eſt,* Periphraſi ſic effers. Eam in quolibet agendi, omittendíque ſtudio virtutis rationem habet, ut nihil unquam in moribus, in inceſſu, in ore videri, audiríve poſſit, quod ad probitatis leges non ſit caſtigatiſſimũ. Cave tamen Euſebi, ne à Periphraſis decore te in vitium periſſologiæ, qua verba inutiliter coacervantur, abduci permittas.

Hyperbato

Hyperbaton autem eſt transgreſſio, qua verborum ordo aut perverſione, aut transjectione commutatur. Illius exempla ſunt: *mecum, tecum, nobiſcum,*

cum, tantas inter turbas, qua de re. Hujus formæ ſunt. *Æqua* quisquis perpenderit, *ratione*, *primo* ſtatim obtutu perſpiciet vitam humanam *in varias* præcipitari *miſerias.* Ipſum autem aliquod verbum dividendi poteſtas ſolis data eſt Poëtis, ut *Septem* ſubjecta *trioni*; aut *meri* flagrante *diei* pro *Septemtrione*, & *meridie.*

VIII. *Euſebius.* Quid eſt Hyperbole? *Eubulus.* Ementiens ſuperjectio, quâ cum decore id augendo, aut minuendo ſignificas, quod non eſt abſolutè verum. Primi formam habes, ſi dicam velocem, *fulminis alis ocyorem*, aut boni visûs hominem, *lynce acutius videt.* Secundi iconem habes, ſi macrum dicam vix *oſſibus hæret.* Etſi autem omnis Hyperbole ſit ſupra fidem, cavendum tamen ne ſit ultra modum, ac proin non ſine ornatu orationis per particulam, *penè*, *ferme* prope &c. mollienda eſt. Solus ferme Carolus totius Rom. Imperii molem ſuis humeris novus Atlas ſuſtentat. Inſignis imago hujus tropi eſt illud Virgilii l. 12. de Turni, & Æneæ pugnâ. 31° *Hyperbole*

mura-

- - - murali concita nunquam
Tormento ſic ſaxa fremunt, nec
fulmine tanti
Diſſultant crepitus: volat atri turbinis inſtar
Exitium dirum haſta ferens.

Ironia. IX. Ironia tandem eſt duplex: alia tropus, de qua hîc, alia figura de qua infra n. 365. Per figuram fingit orator aliquid verbis, cujus tamen prorſus contrarium gerit decreto voluntatis. *Euſebius.* Da exemplum. *Eubulus.* Exaggerâſti e. g. damna otii, ita conclude. Ite jam, ite, & horas conficiundo ſalutis æternæ negotio maximo conceſſas prodigite. Dilapidate menſes: ſic creſcetis virtutum opibus &c. Per tropum autem ſine omni voluntatis fictione vocem à propria ſignificatione in alienam abducis. Atque hæc Ironia eſt iterum duplex: una fit unico verbo, uti ſi pauperem *Crœſum* vocites, aut divitem Codrum nomines.

Altera fit pluribus verbis, uti eſt illud decantatum de malo ſuperiore: ô præclarum cuſtodem ovium, ut ajunt lupum! Egregius eſt hic tropus in comparatione, valetque ad exag-

exaggerandam confuſionem ; uti ſi dicas de obſcænis : nullus unquam Nicetas, aut Pelagius majorem pudoris curam habuit. Illuſtris quoque eſt, ſi antecedens conſequenti evertitur, qualis eſt, ſi datum exemplum promoveas ſimili formulâ. Si procedant in publicum, nihil modeſtius : oculos liberrimè in obvias quasque facies emittunt. Si comedendum, nihil temperantius : vorant Milonis inſtar &c. Et hos ego vitæ humanæ probra, monſtráve reipublicæ non dicam ? En *modeſtius*, & *temperantius* turbatur per *liberrimè*, & *vorant*. Hæc iterum ſub unum aſpectum ponit hæc tabula ſignata II.



§. II.

Figuris verborum variegata producuntur aulæa.

311 *Pingere orationem figuris verborum per genus triplex*

EUbulus. Lustratis figuris verborum, quarum omnis decor in translata significatione sistit; venimus ad eas, quæ sine tropo (& propriè figuræ verborum dicuntur) orationem exornant. *Eusebius.* Quot modis fiunt? *Eubulus.* tribus: *Adjectione*, cujus sunt novem: Repetitio, Conversio, Complexio, conduplicatio, Traductio: Sinonymia, Polysyntheton, Gradatio, & Disjunctio. *Detractione*, cujus sunt tres: Dissolutio, Adjunctio, Synecdoche. *Similitudine* tandem fiunt octo: Paronomasia, similiter cadens, similiter desinens, Isocolon, Antitheton, Commutatio, Correctio, & Dubitatio. Pleræque hæ figuræ sunt ad delectandum. Jam de singulis breviter hôc, & seqq. duobus §§. Materiam exemplis præbebit pulchritudo virtutis, uti locis præbuerat fæditas peccati.

Adjectionem uti

Eusebius. Placet propositũ: quî ergo fabricandæ figuræ per Adjectionẽ? *Eubulus.* Adde orationi voculas, quas in trivio sermone solemus omittere.

Cúmq;

Cúmque eæ octo modis addi poſ-ſint, octo quoque figuræ ſupra recen-ſitæ prodeunt. 312

I. eſt Repetitio ſeu Anaphora; in qua ab eodem verbo ſæpius incipit o-ratio. *Repetitionem ante*

„Quid eſt virtus? theſaurus homi-„num: quid eſt virtus? lætitia cœli-„tum: quid eſt virtus? decus univerſi.

Cùm autem oratio alia ſit inciſum, alia membrum, alia periodus, tripli-citer quoq; efformari poteſt Anapho-ra: primò ſi ante inciſum; ſecundò, ſi ante membrum; tertiò ſi ante pe-riodum ſæpius verbum repetas. Inci-ſum eſt pars membri, membrum pars periodi. En pro ſingulis exemplum.

1. „Nihil in vita ſuave, nihil in „morte ſecurum, nihil in terris bo-„num, nihil in cœlis gratum, nihil „in magnis Regibus magnificum, nihil „in humili ruſtico abjectum ſine vir-„tute. Sola vitæ ſuavitatem, ſola „morti ſecuritatem, ſola gratiam in „terris, ſola gloriam in cœlis, ſola „denique omnibus præſtat omnia. *Inciſa*

2. „Hæc in adverſis confert robur, „hæc in proſperis ſervat modeſtiam, „hæc legibus regit rempublicam, hæc „armis defendit libertatem. *Membra*

3. „Teſ-

Periodos. 3. „Teſtantur id purpurati noſtræ „fidei agonothetæ; hos virtus omnibus tyrannorum minis, omnibus „ſatellitum flagris, omnibus immanitatum ſuppliciis fecit ſuperiores. „Teſtantur id in aula Gallica Radegundes, in aula Hiſpanica Mafaldæ, in aula Polonica Hedvviges. „Teſtantur id Conſtantini, Caroli, „Ludovici, quos virtus uti in ſago „fecerat hoſtibus terribiles, ita in toga ſubditis amabiles effecit.

Hæc, uti vides, figura delectat audientes, & amplificationem Partitione reddit facillimam. Amat Inductionem, & movet præſertim, ſi per inciſa effertur.

313. Converſionem II. Eſt Converſio, qua juxta nominis etimon oratio ſæpius in idem verbum coniicitur.

„Gaudetis Chriſti Sacra in orbem „propagari: propagantur virtute: „Suſpicitis Doctorum in Academiis, „militum in caſtris, opificum in officinis decora: comparantur virtute: „Spes veſtras extra hujus vitæ pauperiem exporrigitis ad bona cœleſtia: „aquiruntur virtute. Ubi virtus colitur, „ibi felicitas; in juventute felicitas, in

„ſe-

„ſenectute felicitas, in omni æta„te felicitas. In virtutis commerci„um docti ſua ſtudia referunt, mi„lites ſua arma referunt, Monarchæ „ſuas leges referunt. Nemo bonus „qui virtuti non famulatur. Is ve„rus Rex, qui ſe ſervum fecit virtu„ti. Illi nullum malum nocet, qui „ſtudet virtuti. Illum omnia rerum „eventa beatum efficiunt, qui ſua om„nia conſecravit virtuti.

III. Complexio in principio oratio- 314. *Complexionem*
nis complectitur Repetitionem, in fine Converſionem. Dicitur etiam Epanalepſis, éſtque duplex: prima, ſi eodem prorſus verbo e. g. oratio inchoatur, quo finitur. Altera eſt, qua in ſingulis quidem initiis idem repetitur, diverſum tamen id eſt ab eo, quod in cujusque fine ſubjicitur. Do exemplum.

„1. Accendit quidem ſpes gloriæ ad *verbo uno*
„heroica facinora: virtus tamen in„genuum animum ad longè majora „accendit. Confert quidem ad rei„publicæ ornamentum ingentem lau„dem illuſtris doctrina: longè tamen „plus & ornamenti, & emolumenti „virtus confert. Admiramur equidem

„varia variarum artium miracula ; „vehementiùs tamen magnificæ virtu- „tis opera admiramur.

diverso „2. Quid eſt, quod rabidos urſos „convertit in manſuetos agnos? vir- „tus. Quid eſt, quod inferis tran- „ſcriptos in cœli jura reſtituit? virtus. „Quid eſt, quod orbem clauſtris, clau- „ſtra Religioſis, Religioſos ſanctimo- „niâ replet? virtus. Vis ſalutis tuæ „negotium feliciter conficere? con- „ficies virtute. Vis tibi quietem, „proximo commoda, Deo gloriam „comparare? comparatur virtute. Vis „tandem totam vitam tuam ad mag- „num illud Chriſti Servatoris aman- „tiſſimi prototypon componere? „componitur virtute.

315. Conduplicatione IV. *Euſebius.* Quomodo formatur hæc figura? *Eubulus.* Si idem, aut plura ejusdem prorſus ſpeciei verba geminas. Eſt admodum vehemens, valet ad exaggerandum, & dicitur etiam Epizeuzis.

„Beatum! beatum proin ego eum „pronuntio, cui omnis conatus in „virtutis ſtudiô deſudat, deſudat, in- „quam, in omni loco, pro omni ne- „gotio, coram omni teſte.

Eu-

Eusebius. Quotupliciter fit Epizeuzis? *Eubulus.* Sextupliciter: 1. initio orationis. 2. in fine 3. initio, & fine simul, 4. in medio, 5. aliquibus per parenthesin interiectis. 6. denique si integram sententiam repetis. Do singulis normam: pro *Sextupliciter*

„ 1. Talis, talis vivet, & vivet vi-„tam cœlestem; gratam, & gra-„tam Angelis, ipsique Deo. Quis-„quis hæc audiens virtutis desideriô „non ardeat? *initiô orationis*

2. Nota hæc ratio efferri potest in solo totius orationis fine. Uti si cujusdam desperantis prosopopœjam, & semet confodientis ita claudas: *ad* „*orcum*! *peri! peri*! Aut subito confos-„si sic finias. *Heu me! heu me*; Aut „in epilogo: *fiat, fiat.* *fine tantùm*

„3. Omnes, qui hæc perpendunt, „virtuti suam industriam addicere „volunt omnes. Multi terras pera-„grant, & maria multi. Plurimi „parentes, & patriam deserunt; opi-„bus, & sæculi spebus renuntiant plu-„rimi, ut virtute potiantur. Sola „desideriis scopus est, animi delitium „sola. Format suos regnis Reges, & „suos Academiis magistros format. *initio, & fine simul*

„Omnia, quæ magna, pulchra, ho-
„neſta ſunt; à virtute magnitudinem,
„pulchritudinem & decorem habent
„omnia.

medio „4. Ob oculos tibi duntaxat pone,
„quisquis inquam ratione duceris, ob
„oculos tibi pone viros illos, quorum
„nomina, & facinora in ſacris faſtis
„legimus. Ad quantam eos gloriam
„ex viliſſima conditione ; iterum
„repetendum, centiésque replican-
„dum: ex viliſſima conditione , ex
„carceribus, vinculis, luto, & pædo-
„re virtus evexit! Fulgent jam in cæ-
„lo, in cœlo, cui comparando ardua
„quæque aggreſſi ſunt, ut ſidera.

interiecto aliquo „5. In terris ſunt noſtra ſolatia : vi-
„vunt adhuc (O quis eorum vitam
„moribus non exprimat?) vivunt ad-
„huc in libris, in geſtis, in benefi-
„ciis, in omnium noſtrûm amoribus.

repetendo totã ſententiam „6. Solamen miſeris, opem invo-
„cantibus præſtant (modò ſint, qui
„eorum ſibi patrocinia efficaciter pe-
„tant) ſolamen inquam miſeris, opem
„invocantibus præſtant. Neminem
„repellunt (O quot hujusce rei teſti-
„monia ex omni retroacta hiſtoriâ
„repetere poſſemus!) neminem re-
„pellunt. O quoties è dæmonis ſer-
vitute

„vitute vindicârunt (eorum numerum nemo facilè inierit) vindicârunt inquam, & quidem etiam eos, „qui omni per summum nefas abjecto cœli jure vitiis, & sceleribus „corpus, & animam mancipârunt! 318

V. *Eusebius.* Quid est Traductio? *Traductionem*
Eubulus. Est nil aliud, quàm ejusdem verbi 1. casibus, aut 2. generibus, aut 3. modis, aut 4. temporibus paululùm immutatîs variata oratio. Hæc figura suavis est, & dat magnum amplificandi campum, ut vides in hoc exemplo.

„1. Testem dictorum cupis? Tes- *casuum*
„tatur omnis ætas, cujusvis ætatis „anni. Quam ætatem miris istis boni „Cœlites non impleverunt? Facillimum est, hæc prodigia â quavis „ætate repetere.

„2. Ipsa rerum copiâ superamur. *generum*
„Quis eorum singulos favores, singulas gratias, singula beneficia recenseat?

„3. Scripserunt ea de re viri gravis- *modorum*
„simi grandia volumina, nec tamen, „ut ipsi fatentur, miniman mirandorum, quæ scribenda fuerant, partem scribere potuerunt. Scripserant

„quidem illi multis annis, indefeſſo „labore, tempus nullum ſibi ſinebant dilabi; quo non aut quæ ſcriberent, pararent; aut quæ parata fuerant, ſcriberent.

temporum „4. Nunquam tamen ſcriptis ſcribenda adæquârunt, nec ullâ unquam „induſtriâ adæquabunt. Ad quantum faſtigium hanc Cœlitum gloriam non deduxit Baronius: Surius; „è noſtris Yepeſius, Mabillonius, „aliíque? Sed negotium confectum „cenſes? Abſit: jam iterum alij acuunt calamum, & hanc ipſam gloriam novis encomiis, factisque ad altiorem apicem deducunt.

Cæterùm notandum, ne in hac figura ſit ars affectata, & omnes caſus, genera, modi aut tempora more Grammatico afferantur: nonnunquam tamen non ſine ornatu ſimilia exempla producuntur. Virtus eſt fæcundiſſima virtutis mater: virtuti parit virtutem. O virtus! quis te non æſtimet? quid virtute præſtantius? Virtutes virtutum præmia ſunt. Si virtutibus virtutes augeſcere ſtudebimus, O virtutes à virtutibus quantùm decorabimur!

VI. *Eu-*

VI. *Eusebius.* Traductionem ordine sequitur, præstantiâ præcedit Synonymia, eamque construis, si multa aut verba, aut sensus idem significantes coacervas ad vehementiorem rei exaggerationem. Unde abstinendum hac figurâ, si nihil exaggerandum est. Dici etiam ex suo officio potest Polyonymia. Formam tam verborum, quàm sensuum habe. *317. Synonymiam*

„1. Laborent, desudent, contendant doctorum ingenia per insomnes noctes, indefessos dies, ac integros annos; nunquam tamen virtutis pretium, gloriam, aut encomia poterunt absolvere. *verbis*

„2. Semper restabunt argumenta longè fortissima, quæ proferant de virtutis necessitate; illicia longè vehementissima, quæ adducant de ejus præstantia, momenta longè maxima, quæ disputent de virtutis ineffabili gloriâ. *sensibus*

VII. Magna pars Rhetorici muneris est instare, & urgere rationes rationibus; eam partem per Polysyntheton, quo conjunctiones iterum iterúmque repetimus, explebis. Profero normam. *Polysyntheton*

„Chriſtus ipſe ſervator noſter a-
„mantiſſimus, ut virtutem & monſtra-
„ret dictis, & doceret exemplis cœ-
„lum deſeruit. Hanc docuit & in
„præſepio infans, & in Ægypto exul,
„& in templo Doctor, & excrucia-
„tus in paſſione, & mortuus in cru-
„ce. Hanc monſtravit, cùm admi-
„randa illa & orandi, & jejunandi,
„& patiendi documenta dedit.

318. *Gradationem*

VIII. Gradatio eſt inter maxima orationis ornamenta, præcipuè ſi ars ingeniô celetur, collocari ſolet; deſcribique poteſt, quòd ſit per gradus artificiosè facta verborum coacervatio. Poſſumus autem hos verborum gradus quadrupliciter erigere. Ex quo quatuor Gradationis ſpecies prodeunt.

repetendo priora

1. Eſt, ſi non priùs ad conſequens verbum deſcendis, quàm præcedentium aliquod repetas, ut per illud velut per ſcalam aſcendas.

„ Ut tibi virtutis ſtudia perſuade-
„ret, venit de cœlis in uterum, ex u-
„tero in ſtabulum, ex ſtabulo in Æ-
„gyptum, ex Ægypto ad arduos illos
„tum demiſſionis admirandæ, cùm
„prædicationis diuturnæ labores, ab
„his ad flagra, à flagris ad ſpinas, à
„ſpinis

„ſpinis ad crucem, à cruce ad mor-„tem ipſam funeſtiſſimam. O te in-„ſenſatum, ſi ex his nullum tibi vir-„tutis deſiderium, ex deſiderio ſtu-„dium, ex ſtudio exercitium ſanctio-„ris vitæ ſubnaſcatur!

2. Species eſt, cùm levioribus præmiſſis majora ſemper ſubrogando ad ſummum connitimur, nihil tamen ex præcedentibus repetimus. Quæ ſpecies triplici modo efferri ſolet. Primus eſt, ſi gradum comparativum poſitivo, & comparativo ſuperlativum ſubjicimus. Alter eſt, ſi frequentamus comparativa poſt ſingula poſitiva. Tertius eſt, ſi verbis ſemper ſignificantioribus mentem aperimus. *omittendo priora per*

1. „Econtra verò felices illi, qui hæc „ſeriò perpendunt, feliciores, qui „moribus aſſumunt; feliciſſimi, qui in „his conatibus potiorem operum ſuo-„rum induſtriam ponunt. *gradus omnes*

„2. Hi tales breviſſimo temporis inter-„vallo ad ſummum ſanctimoniæ faſti-„gium evolabunt. Utinam eorum tibi „ardentiſſima de virtutis æſtimatione „ſenſa depromere poſſem! Fortis inqui-„unt eſt fides credere quæque Dei elo-„quia; fortior eſt propugnare inter „maxima tormenta: præclara Spes eſt *comparativũ poſitivũq;*

„niti in omnibus divinâ fiduciâ; præ-
„clarior eſt terrenas opes ob cœleſ-
„tia bona abdicare: flagrans eſt cha-
„ritas quærere Dei ubique gloriam;
„flagrantior pro divino honore vitam
profundere.

emphaſin 3. „Ad hunc fidei, ſpei, charita-
„tíſque gradum ibimus, curremus,
„imò non curremus, ſed volabimus.
„O virtus tu ſcopus votorum, tu eſca
„mentis, tu lucrum humanæ vitæ,
„tu pretium cœli, & quid dico, tu vi-
„ta viventibus, ac tota ſalus morien-
„tibus. Si laus eſt, patriam libera-
„re hoſtibus; ſplendor nominis, re-
„gere legibus; decus immortale, il-
„luſtrare ſcientiis; an non divinum
„quoddam facinus erit hæc omnia ag-
„gredi fortiter, conficere feliciter, ut
„virtus colatur, conſtanter ametur,
„& ubique exerceatur.

hypotheſes. 3. Speciem Gradationis efformas, cùm per ſuppoſitiones ſenſim in majus elevas theſin tuam. Hæc ſpecies vehementer movet, & probat, & valet ad amplificationem plurimùm, ſi certæ hypotheſes eliguntur, & quarum ſequens ſemper eſt præcedenti fortior. Facio dictis fidem.

„Quid?

„Quid ? ſi magiſter tuus, ut tan-
„dem virtutem tibi perſuaderet, ab-
„jecto ampliſſimo patrimonio ſe ſe
„damnâſſet ad pauperem caſam :
„quid ? ſi nullo ſuo, maximô tuo e-
„molumentô perdius, & pernox, ſi-
„ne ulla minervalis ſpe tibi adeſſet :
„quid ? ſi in tuis obſequiis annos, æ-
„tatem, viréſque triviſſet : quid ? ſi
„hæc omnia tui amore frater tuus,
„imò pater tuus ſubiiſſet, an poſſes
„virtute quidquam potius habere ?
„Quæ igitur de virtute exiſtimatio,
„quis animus, quis ſenſus tibi ſit ne-
„ceſſe eſt, ſi hæc à Chriſto Magiſtro
„tuo, à Chriſto fratre tuo; à Chriſto
„Patre tuo per totam vitam triginta
„& amplius annis dixero patrata, &
„tolerata ?

4. Specie uteris, quoties rem quampiam elevans temetipſum graviter interrogas, an illam ſufficienter elevaveris, tandémque concludis, majus quidpiam dicendum eſſe, ut facinoris meritum aſſequaris, ac illud per modum ſententiæ producis. Sententia eſt duplex: una è proprio, altera è ſenſu Chriſti, aut magni viri prolata. Poſterior ratio eſt valde vehemens, & præbet affectibus, &

interrogationem

& amplificationem magnum apparatum. Uti ſi de peccatore diceres eum eſſe probrum generis humani, buſtum inferni, & tamen ſimilibus definitionibus, licet una alteram elevet, non ſatisfactum ſenſui tuo fingeres, ac proin ſententiam à Chriſto e. g. peteres hoc, vel ſimili modó. Cùm nequeam Domine condigno nomine peccatorem inſignire, tu onomatithes eſto. Tum per debitam figuram v. g. Proſopopœjam ſubjunge illud Io.6.71. Ubi Chriſtus peccatorem diabolum dicit. Hæc magis patebunt ſequenti exemplo.

„Virtus eſt illa gemma, quam cùm „tibi non potuerit invenire amantiſſi„mus Servator in cœlo, quæſivit in „mundo. Virtus eſt illa ars, quæ á „ſolō Chriſto doceri poteſt, quâ cœ„lum lucramur, & è dæmonis manci„patu eximimur. Virtus eſt illa no„bilitas, quâ Angelis ſimiles, Superis „chari, Deo grati, & veræ felicitatis „capaces reddimur. Sed quid gem„mæ, quid artis, quid nobilitatis præ„rogativâ virtutem illuſtrare conten„do? gemmâ præſtantius, arte lucro„ſius, nobilitate præclarius aliquid,

„ut illius præſtantiam adumbremus,
„dicendum eſt. Et quid illud? an
„mutuemus ex theſauris naturæ?
„Nequaquam: naturam enim om-
„nem transgreditur; an angelorum
„ſententiam, ſtudia, & exiſtimatio-
„nem, quam de virtute conceptam
„gerunt, quæritabimus? ipſi ſe vir-
„tutis famulos, ejúsque laudum im-
„pares oratores ſe dicunt. Ad ſo-
„lium ergo SS. Triados enitendum
„cogitatione eſt. Hîc hîc diſces de
„virtute & ſentire magna, & pro vir-
„tute pati fortia. Ecce tibi ut veræ
„virtutis gloriam indipiſcerére, de-
„dit tibi Pater Filium, Filius vitam,
„Spiritus Sanctus gratiam. Quid di-
„ci majus? quid ſcribi præſtantius?
„quid cogitari magnificentiùs pote-
„rit? Dedit Pater Filium, ut virtu-
„te fieres filius Dei: dedit Filius vi-
„tam, ut virtute dominareris morti
„factus immortalis: dedit Spiritus
„Sanctus gratiam, ut virtutum evec-
„tus alis transvolares totius terminos
„naturæ.

IX. Disjunctionem tandem effor- 329. *Disjunctionem*
mas, quoties quamlibet orationis
partem ſuo verbo claudis, cùm unô
tantum opus foret. Aliqui Disjunc-
tionem

tionem accenſent figuris per Detractionem fieri ſolitis, quòd eam ſine conjunctionibus formandam dicant. Sed melior locus optimæ figuræ inter ornamenta Adjectionis à neceſſaria verborum adjectione conſtituitur. Cujus do modum.

„Quantùm ergo deſciſcis à temet- „ipſo, ſi hæc omnia ſocorditer au- „dis, audita turpiter negligis, neglec- „ta impudenter in nullo detrimen- „to habes? Si Chriſti diſcipulus fo- „res à virtutis exercitatione nullus te „labor avocaret, nulla voluptas re- „traheret, nulla adverſitas abſterreret. „Ires per ſanctimoniæ ſemitam, in- „tellectum fide regere, voluntatem „præmiis accendere, te, tuóſque „omnes ad probitatem impellere, in- „ter primas haberes.

§. III.

Exhibentur Figuris verborum per Detractionem variegata aulæa.

320. *Effigiare orationem figuris per Detractionem uti*

I. *Eubulus.* Venuſtas Euſebi, & brevitas, ac quæ non rarò ex utraque ſubnaſcitur vis, invenit figuras

ras per Detractionem. Variæ illæ ſunt; tres ex iis frequentes, cæteræ plus ingenij, quàm uſûs habent; quarum tamen, ſi illas more meo attulero, indolem breviter perſtringam.

I. Prima itaque eſt Diſſolutio, quam etiam Aſyntheton dicimus, eſt oratio ablatis conjunctionibus *&*, *que*; multa diſſolutè producens. e. g. plebs, nobilitas, miles, Dux, Cæſar virtutis exercitium aſſectantur. Præbet hæc figura non ſolùm in verbis, ſed etiam in ſententiis locum affectibus & acrimoniam argumentis. Polyſynthetis eſt contraria quoad formam, ſimillima quoad uſum. *Diſſolutionem*

„Liberi, famuli, vicini tua ſequerentur exempla. Opera, conſilia, vita tua perſeverarent in moribus poſteritatis, in anguſtiâ mortis, in præmiis beatæ æternitatis.

II. *Eubulus.* Adjunctio, & Synecloche non minus illuſtrem decorem onferunt orationi. *Euſebius.* Quid ſt Adjunctio? *Eubulus.* Eſt figura, qua d unum verbum plures ſententiæ, à quarum unaquaque id deſieraretur, ſi ſeorſim poneres, refer- 321. *Adjunctionem*

referuntur. e. g. Virtus vincit ærumnas, tyrannos, mortem ipſam crudeliſſimam. Dicitur hæc figura à Grammaticis zeugma. Cùm autem verbum præfato modô plura regens poſſit tripliciter in proprio, medio, vel fine poni, triplex quoque Adjunctio ſtatuitur. Si ponitur initio, Protozeugma; ſi in medio Meſozeugma; ſi in fine Hypozeugma vocatur. Singulorum exempla ſtatuamus.

Zeugma

Protozeugma.

1. „Si Chriſtus illud virtutum archetypon in te velut apographo *viderit* relucere ſuam in omnibus adverſis infractam fortitudinem, ſuam in ſummis honoribus demiſſionem, ſuam in difficillimis laboribus charitatem; quanto te mòrtali exutum vitâ *ſuſcipiet* affectu, plauſu, & præmio?

Meſozeugma

2. „Tuas tibi delitias nulla ſatietas aufferet, nulla vetuſtas. Omnia opera, verba quæque virtutis nomine facta, & prolata ineffabili mercede præmiabitur Ter liberaliſſimus Deus; imò cogitationes ipſas, ac motus cordis quoſcunque. O quantùm tibi horas genio ſubtractas tum gratulaberis, & dies virtutis exercitio conſecratas!

3. „Om-

3. „Omnem præteritæ vitæ contemptum præſenti honore, omnem „laborem quiete, omnem dolorem „delitiis, omnem denique operum „magnituidinem præſenti præmiô æſ„timabis longè inferiorem. Nulla „dos à corpore nulla gratia ab animo; „nulla vis ab ingenio aberit. In Deo, „inter angelorum choros, ante divi„næ matris oculos, ſemper ſine in„terruptione, vehementer ſine tœ„dio, intensùm ſine remiſſione tri„pudiabis. *Hypozeugma*

Euſebius. Illuſtria hæc ſunt. ***Eubulus.*** non tamen omnia, quæ de hac figura dici debent. Nam præter tres hos ponendi verbum modos alii duo ſuperſunt. Primus eſt, cùm tale verbum plures regens ſententias numerô, perſonâ, genere, aut caſu mutatur. Alter, cùm tali verbô duo contraria reguntur. Illa dicitur Syllepſis, hæc Synæcioſis; illius exempla ſunt: hunc hominem ſenectus, iſtum curæ ſuſtulerunt; hujus autem: homines non raró tam ſtudiô, quàm otio peccant. *Syllepſin* *Synæcioſin*

III. Synecdochen (Grammatici Eclypſin, aut Defectionem vocant) hoc loco dicimus figuram, qua ver- 322. *Synecdochen*

 bum

bum aliquod omittitur quod ſenſu uſúve facilè ſubauditur , e. g, Quò te Paule pedes. 2. Aſpectu monſtri horrere omnes , ejulari , & qua data porta fuit, fugere. In primo exemplo ſubaudis: *ducunt*; in ſecundo: *cœperunt.* Pulchra , & frequens eſt hæc ratio , cùm in concertatione affectuum animi horridum quiddam per hypotypoſin , aut aliam ſimilem vehementiorem figuram deſcribendum eſt.

Reticentiam

Synecdoches ſimilis eſt Reticentia, quâ ad exprimendam cujusdam affectûs vehementiam quædam dicimus per gravem figuram , & ſubito dicta abrumpimus relinquentes dicenda judicio audientium. e. g. Vos perditi ! O impii ! dolor abrumpit vocem ! quid dicam ? Cape jam ex theſi noſtra Synecdoches , & Reticentiæ ſchema.

1. „Fugere à te omnis dolor, pro„pulſari omnis mœror , abeſſe om„ne malum. Sermo nullus niſi de „Deo , gaudium nullum niſi in Deo, „ſatietas omnis à Deo.

2. „O te felicem ! O te beatum! „quis tibi tum ſenſus , quæ mens , „quod delicium erit , cùm te videris

„in

„in quoddam ineffabile voluptatum „mare demerſum ! Quid ſentiam „de beatiſſima Cælitum ſocietate, in „qua ſemper gaudebis ? Quid de „Chriſti Humanitate ? an ? obruor „magnitudine dicendorum. Ah ! „cæci mortales cur hæc bona ?

§. IV.

Columnati tapetes expanduntur ſeu figuræ verborum per Similitudinem expenduntur.

323. Efformare orationem figuris per Similitudinem

EUbulus. Frequentiſſimus eſt figurarum per Similitudinem non ſolùm profanis, ſed & ſacris oratoribus uſus: qua in re mirum, quantùm excellat Magnus Gregorius in divina eloquentiâ maximus Doctor, & omnium imitatione digniſſimus. Duo námque bona hæ figuræ conferunt legentibus, & diſcentibus ſummè neceſſaria. Mentem mulcent, ut legant; & memoriam firmant, ut lecta fideliter retineant. *Euſebius.* Quid, & quot ſunt ejusmodi figuræ? *Eubulus.* Quid ſint, tibi aperire aggredior: in numero non conveniunt Auctores. Nos certiora, & frequentiora ſectabimur.

I. Prima itaque figura eſt Parono- *Paronomaſiam*

 noma-

nomaſia, quam efformas, quoties voci penè ſimilem quoad ſonum aliam ſubjungis, diſſimilem tamen prorſus quoad ſenſum. Finis hujus figuræ eſt venuſtas ex mutatione litteræ delectans, aut acrimoniâ pungens. e. g. homo es: ab humo ducis tuæ incunabula vitæ. En unicum o in voce *homo* mutatur in u in particula *humo*. *Euſebius*. Quot modis fit? *Eubulus* Quatuor.

Adjectione 1. Adjectione litterarum, aut Syllabarum; ut: qui ſibi non *temperat*, vitiis *obtemperat*.

Detractione 2. Detractione vel litteræ, vel Syllabæ; uti: non poſtulo ut litteris *immoriare*, ſed ſtatis horis *immorare*.

Commutatione 3. modus eſt, ſi in verbis compoſitis commutas litteras, vel Syllabas; e. g. Chriſtiani eſt *perferre* mala non *inferre*.

Translatione in 4. modus eſt, ſi transferas litteram aut ſyllabam, e. g. ſi vis ritè *diligere*, cures diligendos *deligere*.

principio Hæc autem translatio poteſt vel initio, vel in medio, vel in fine fieri. Exemplum primi eſt: *Marte*, vel *arte* honoris templum aperitur. Se-

medio cundi: Romani Cæſaris eſt ſubdi-

tos

tos bonis *legibus*, hostes armatis *legionibus* persequi, Tertii. mala *aura* in *aulâ*, mentem inficit, cum afficit; in *curia cura* est.

fine in

Præterea alius quadruplex Paronomasiam formandi modus superest. In primo prima, & extrema correspondent; uti: vincere ut bonus sis, te debes, & si Deus velit etiam à tyranno vinciri. In secundo attenduntur prima, & media, velut si dicas: Sine impendio laboris cupis eloquentiam assequi,& industriam omnem impendis luxui, ac voluptatibus. In tertiô media, & extrema considerantur uti patet in hoc exemplo. Si bonus es, bona & mala in lucro repones: bona insequéris, mala persequéris: illa insecutus consequi, hæc persecutus facilè devincere poteris. Demum in quarto conglobantur annomina, quæ singulari decore pollent, si per antitheta (absit tamen nimium affectata ars) efferuntur. En fidem dictorum.

primis, & extremis

primis, & mediis

mediis, & extremis

„Omnibus complacebis, displicebis nemini; semper reformaberis, „deformaberis nunquam; omni die „oriéris, nulla moriéris. Eris in tur- „mis sine turbis; compendium ex omni

„ni re, diſpendium ex nulla referes. „Omnis hora chara, omnis mora „rara. Amare ſingulos, à ſingulis „amari ſemper jucundum, amari ni-„hil unquam inferri poterit amanti-„bus, & amatis.

324. Similiter cadent

II. *Eubulus.* veniamus jam ad Similiter cadentia, & deſinentia; Iſocolà, & Antitheta, aliáſque hujus indolis figuras. *Euſebius.* quî efformem Similiter cadentia? *Eubulus.* Producito plures ſententias, & eas iisdem caſibus quoad nomina, & iisdem temporibus quoad verba effer. Vel cura ſis, ut in eosdem caſus nomina, & in eadem tempora verba cadant aut initio, fine, aut medio e. g.

„Ex hac ſanctiſſima civitate mala „excluduntur, morbi relegantur, ad-„verſa quæq; proſcribuntur Loquēti-„bus nullum erit in ſermone tœdium, „agentibus nulla in labore fatigatio, „amantibus nullus in amicitia finis. „Si, quantum voluptatis ſentit bea-„tus in minimo ſenſu, tantum quis-„quam noſtrûm vel unico momen-„to ſentiret in anima: non minus

„mun-

„mundi gaudia contemneret, quàm „pueri crepundia.

325 *Similiter desinens*

III. Similiter desinens est, cùm periodi partes simili sono terminantur non attentâ casûs, aut temporis, ut de Simili Cadente diximus, similitudine, sed solâ æqualis consonantiæ suavitate. Ut hìc vides.

„Verùm si nondum potes, aut „nondum calles sensum ab his in„fernis avellere, animúmque super„nis infigere; mane cogitatu, ma„ne sensu, mane usu in hac morta„li vitâ, & quantam in cœlo in„veneris virtutis jucunditatem, tan„tam invenies in mundo ejusdem „necessitatem. Sine virtute nec in„ter homines manere, nec homi„nibus carere poteris. Nihil pro„derit scientia, nihil humana gra„tia, illa inutilis, hæc futilis est: „illa cùm habetur, inflat; hæc vix „obtinetur, nutat. O infelix sine „virtute felicitas! est mera vanitas: „cùm incipit, decipit; nos tamen „in damnis nostris tripudiamus.

Antitheta

IV. Antitheta pulcherrimum sunt orationis ornamentum, ac tum con-

ficis, ſi verba verbis, eáque 1. vel ſingula ſingulis; vel 2. bina binis; vel 3. terna ternis opponimus. Singulis conſtruendis normam fero.

„1. O quot videre eſt miſeros mor„tales! qui ab innocentia ad ſcelera, „à ſpe ad deſperationem, à vita ad „mortem infeliciter deſciſcunt, im„piè deflectunt, inſanùm deficiunt! „2. Qua tandem ratione his miſeris, „his ægris medelam, aut medicinam „feremus niſi virtutis ſtudiô? 3. in e„xilio, in captivitate, in periculis om„nes verſamur: in patriam, in liber„tatem, in ſecuritatem ſola nos vir„tus exules, captos, tentatos poterit „reducere, redimere, & liberare.

326. *Antiſagoge*

1. Antithetis cognata eſt Antiſagoge, qua paria paribus, aut minora majoribus penſamus. Modum dictis ſubſigno.

„Quousque tandem ergo excæca„tiſſimi mortales virtutis curam ne„gligetis, ſine qua nec bene vivere, nec „beatè mori poteſtis? Quid divitias „æſtimatis? earum poſſéſſio perfidæ „fortunæ ſubjecta eſt? quid formam in „bonis numeratis? quavis ægritudine „deteritur; quid robur virile dilau-

„datis

„datis? ſenectâ enervatur. Sola vir-
„tus probè quæritur: cum fœnore in-
„venitur; ſola quietè poſſidetur: nun-
„quam perit; ſola denique tutò ama-
„tur: nunquam decipit.

V. *Euſebius.* Quid eſt Iſocolon? 327 *Iſocolon*
Eubulus. eſt figura, quâ membra numerô ſyllabarum pene paria in oratione conſtringuntur. Inventa eſt, ut dicta ſuaviter in animum demittat & firmiter inſigat.

„Si fidem non habes dicenti, da „Deo, da Sanctis, da probis omnibus. Ille præter virtutem nihil præcipit, iſti ſine virtute nihil æſtimant, „& hi absque virtute nihil faciunt. „Ut in proſperis non diffluas, ut in „adverſis non ſuccumbas, ut in cœptis non deficias, quis frænum, quis „animum, quis robur conferet niſi „virtus? Ubi autem Locus tam ſecurus, quis hominum tam beatus, „quæ dies tam fauſta, qua non hiſce „malis impetimur, qui non hiſce turbis involvimur, in quo non hiſce „damnis patemus?

VI. Sed figuris verborum ſatis præ- 328 *Anaclaſin*
luſimus. Jam eis, quæ hujus loci ſuperſunt, cùm plus ingenij, quàm

artis habeant, brevem operam commodemus. Prima eſt Anaclaſis (Commutationem alij dicunt) argutiis nata figura, fitque tum, cùm duas ſententias inter ſe diſcrepantes ita producuntur, ut poſterior à priore oppoſita priori prodeat. Similia ſunt, ſi ingredienti monaſterium dicas. *Morere, ut vivas: vive, ut moriaris.* Aut ſuperbo: *ſi ſurgis, cades: ſi cadis, ſurges.* Aut ſi dicas ſuæ cutis plus æquo amanti Narciſſo illud Chriſti. *Si te amas, odiſti: ſi odiſti, amas.* Non ſine ſale ille è noſtris 40. Martyrum ad deſertorem produxit proſopopœjam. *Redi ad mentem, redi ad glaciem: fuge balneum, fuge calorem; nobiſcum frige, ut ardeas, nobiſcum arde, ut frigeas.*

Relatio

Anaclaſi affinis eſt Relatio, quam conſtruimus, cùm relata inter ſe conferimus, uti ſi in illud Chriſti Matt. 24. 7. de perſecutione Antichriſti dicas. Conſurget filius in patrem, pater in filium; ſervus in dominum, Dominus in ſervum; miles in ducem, dux in militem. Pulchra eſt Relatio in verbis, uti: *Diſcere nondum potes, & docere cupis.* Pulchrior eſt, ſi coacervan-

vantur verbaSynonyma *Eusebius.* Da exemplum : *Multi sunt, qui ambiunt imperare, & nesciunt parére. Regi non possunt, & regere volunt; continere in virtutis semita nequeunt, & tamen cupiunt alios continere prius magistri, quàm discipuli, prius duces, quàm milites, aliis nocivi, sibi nocentissimi.*

Huc spectat illa ratio, qua pluribus præmissis substantivis ita sua verba subdimus, ut singula verba singulis substantivis aptè respondeant. Exemplum præbet virgilius noto suo distycho.

Pastor, arator, eques, pavi, colui, superavi
Capras, rus, hostes, fronde, ligone, manu.

Sensus est ego pastor pavi capras fronde. Simile, & festivum est sequens pigri acroama.

Nux, asinus, campana, piger si verbera cessent,
Hic cubat, illa silet, hic stat, & illa manet.
Nux, asinus, campana piger si verbera cogant,
Hic studet, illa sonat, hic it, & illa cadit.

VII.

529. *Acyrologiam*

VII. Altera est Acyrologia, seu Acyton, fitque tum, cùm voce, quæ subjectæ materiæ minimè videtur convenire, ad variandam, aut ligandam orationem utimur; quale est illud Virgilii. - - - - tantum sperare dolorem: pro timere. Aut: „castus nil magis timeat, quam amare, & amari. Nam videtur potius dicendum, amantem esse redamandum.

Antiphrasin

Tertia est Antiphrasis, quam construis, si ponis nomen alicui rei, quæ proprietatem contrariam habet, quàm nomen ipsum significat: uti si Parcas dicis à parcendo, aut lucum à luce, bellum à bellâ forma: quia illæ non parcunt, hic non lucet, & quia istud bellum non est. Sic à barbariâ Barbara nomen habet.

Discriminationẽ

Quarta est Discriminatio, qua in iis rebus differentiam ostendimus, quæ aliàs possent videri similes. Amat hæc figura ingenium, valetque ad refutandum, ut si velis exagitare hypocritam: non *sagaciâ, sed astutiâ; non severitate, sed crudelitate; non liberalitate, sed prodigalitate plenum animum circumfers*: Plurimùm confert ad defendendum. *Illa in incessu gravitas non,* ut

ut vos putatis superbia, sed modestia est; illa in verbis parcitas non tetricitas, sed taciturnitas est &c.

Quinto loco collocamus illam Dubitationem, qua dicit orator se dubitare de nomine, quo rem quampiam appellet, aut exprimat. *Tantum facinus quo nomine insignies? alii fortitudinem dicunt, ego magnanimitatem plus quàm heroicam appellarem, nisi hâc ipsâ majus magnitudo facti sentire juberet. Scenam ergo pando, vos dein suo eam nomine venditote.* **Dubitationem**

Colophonem imponamus his figuris Correctione, qua verbum aliquod corrigimus, & emendamus, ut aliud ad explicandam mentem longè aptius substituamus. Ut si exclames. *O furorem hominis! dicam potius, belluæ! Tot annis probum quemque pressisti, imò supressisti.* Aut: *O Christiani, Christiani inquam, si hoc nomine vos appellari fas est, qui Christum moribus impugnatis.* Aut si significantius verbum substituas, uti: *O stultitiam* stultitiámne *dicam, an impudentiam singularem!* Circa hanc autem, & penultimam figuram notandum, eas inter Figuras Sententiarum collocandas, si inte- **Correctionem**

gram

gram ſententiam exornent, velut n. 334, videbis, & n. 379.

§.V.

Belluata periſtromata ſeu figuræ Sententiarum ad docendum natæ ob oculos ponuntur.

330. *Animare orationem figuris Sententiarum*

EUbulus. Neſcio, num quidquam uſu magis arduum, ad delectandum magis aptum, aut ad docendum magis neceſſarium tota Rhetorices ars habeat, quàm Figuras Sententiarum. Sine his Argumenta enerviter jacent, Amplificatio torpet, flacceſcunt affectus. *Euſebius.* Quid ſunt? & in quô differunt â figuris Verborum? *Eubulus.* Exornatio, qua non jam ſolis verbis, ſed integris ſententiis decorem, & majeſtatem orationi afferimus, ac quæ ſemper manet, etſi verba mutes, & expolias. Sic Erotema erit ſemper Erotema, licet verbis alia, & alia verba ſubſtituas: econtra verò in figuris verborum emoto verbô corruit figura. *Euſebius.* da Exemplum. *Eubulus.* *Delige ex multis, quem diligas in paucis*, Paronomaſia eſt. Si autem pro *diligas* ſufficeres *ames*, etſi prior ſenſus, non tamen

men Paronomaſia maneret. Cùm itaque hæ figuræ formam integris ſententiis lumen cuique orationi afferant, exactâ diligentiâ pertractandæ ſunt.
Euſebius. Quot ſunt ejusmodi figuræ? *aptis ad docendum*
Eubulus. certum numerum vix inieris: alij viginti quinque recenſent, alij plures, alij pauciores: Cicero reducit omnes juxta tria ſua docendi, delectandi, & movendi munera ad tres claſſes. Illum velut ducem fideliter ſequemur, & ſingulas cujusque claſſis ordine alphabetico explicitum imus, aut doctrinali.

I. Inter figuras itaque, quæ docendi gerunt officium, primo loco ponimus Antitheſin, quâ ſententiam ſententiæ oppoſitam referimus, ut eam oculis animi graviùs ſubjiciamus, & magis commendemus. Servit præterea concitandis odij, & commiſerationis affectibus, Amplificationi amplam præbet materiam, ac denique orationem ex vulgari ſermone ad inſignem effert decorem. Dicta patefient, ſi theſin noſtram audiemus. *331. Antitheſi.*

„Pone tibi ob oculos cœtum quen„dam hominum, in quo virtus reg„net, vitium exulet; probitas cola-
„tur

„tur, ſcelus proſcribatur; pax floreat, lis exterminetur. Ecce tibi quanta in ſermone gravitas, in actione moderatio! Menſa conditur jejuniis, & ſobrietate; dies conſecratur labori, aut orationi, nox datur vigiliis, & moderatæ quieti. Vita ducitur angelica; Cœlitum amor, Superum gratia, hominum ſalus aquiritur, augetur, & firmatur. Econtra verò in reprobam quandam ſocietatem animum reflecte, in qua exulet virtus, regnet vitium, in qua proſcripta probitate colatur ſcelus, exterminata pace lites exerceantur; & præfiſcine dixerim, vivam inferni imaginem conſpectabis. Lingua ſine fræno in alienam famam, pudorem, & honeſtatem graſſari ſinitur. Dies otio, & blaſphemiis contemeratur, nox inſomnis ludendô, aut in adultam usque meridiem ſtertendo infeliciter prodigitur. Vita ducitur infernalis: Immenſa cœlitibus ordiendi, Superis puniendi, hominibus pereundi præbentur materia, cauſa, & exempla.

Ex his vides, in quo differat Antitheſis verborum (de quo ſupra n. 326.)

326.) ab Antithesi Sententiarum; vides etiam quàm egregiè amet Locum â Similitudine, & comparatione: illam n. 199. hanc n. 202. reperies.

332. Communicatione

II. In secunda sede collocamus Communicationem, qua æquitati causæ nostræ confidentes ipsos adversarios consulimus, ac cum judicibus conferimus, quid in tali vel tali casu, quem defendendum suscepimus, aut laudandum, fieri oportuerit. Atque sic quæ in thesi facta sunt, in hypothesi vel ab ipsis adversariis facienda, approbandáve probamus; qua probandi ratione nihil est efficacius, tum præcipuè.

1. Si per hypothesin causam in auditores transferre possumus, ut si velis misericordiam erga defunctos concitare, dic.

„Quid si hac ipsâ, quâ te alloquor, horâ in has flammarum voragines abripiendus esses, quid potius haberes, quàm ut in lytrum tuum fidelium opera converteres? Cur ergo, quod tibi tam sollicitè peroptas præstari, non præstas illis animabus, quæ hâc ipsâ miseriâ, quam tu adeo times, consepultæ jacent.

 2. Strin-

2. Stringit hæc figura, si ex Loco Comparationis per Sustentationem facinus quoddam vel ad concitandam admirationem, amorem, vel odium extollis. Exemplum esto Christus passus. *Quid tu à patre, ut te ex carceris pædore liberaret, exigere posses? Possésne petere, ut patriam, amicósque desereret? Non posses. vetat pietas &c.* Tandem pluribus per Sustentationem propositis concludis. *Quod nec à patre, nec ab ullo amico posses exspectare, Christus tibi facto exhibuit. Patriâ cœlesti excessit &c.*

3. Conciliat fidem Communicatio, adversa argumenta destruit, & varios animi motus excitat. Formulæ hujus figuræ sunt: *Te optem in hac causa magistrum, quid suades? Te ego appello, si in hoc loco fuisses. Concedes, permittes hanc propulsandæ injuriæ rationem; si locum, si arma perfidi parricidæ inspexeris.* Hæc omnia confirmabit pro more nostro virtus.

„ Mentem jam ego tuam convenio. Quis tibi de improborum, & „proborum societate sensus? Tu Judex esto. Quænam his præmia, „illis supplicia decernes? Æquitas tibi funes, enses, rotas expediendas

in

„in ſceleſtos ſuadebit. Probos dices „de republica chriſtiana optimè me-„ritos, hominum cultu, Dei amo-„re digniſſimos. Eccleſiæ faſtos e-„volve; hîc invenies, quàm frequen-„ter virtutis cultores ſuis ad Deum „precibus publicas calamitates profli-„gârint, peſtem averterint, igni, & „omnibus elementis imperârint. De-„cerne jam, quid illis debea-„mus, à quibus habemus pacem in „patriâ, fertilitatem in terrâ, & quod „his omnibus majus eſt, vivendi e-„xempla. Sententiam feres, an or-„bis univerſus his hominibus dignum „quidquam habeat. An non aurum „omne, gemmarumque theſauros eo-„rum meritis inferiores dices? Hos „omnes velut vile lutum virtutis amo-„re contemnunt, ac ipſo contemptu „ſe omnibus rebus creatis longè ſu-„periores demonſtrant. O homines „divinos! Quid imperes amori, quid „otio tuo melius, & ſanctius, quàm „ut cum illis virtutem ames, & vi-„tium deteſteris.

III. Tertiam inter has figuras lau-dem tribuamus Conceſſioni, qua uti-tur Orator, cùm cauſæ fiduciâ adver-ſario concedit, aut patitur aliquid quo- 333. *Conceſſione*

ad ſpeciem præſenti tractationi iniquum, ut fortiùs dein cauſam urgeat, probetque eam etiam machinis adverſariorum roborari. Exprimitur communiter hiſce particulis? *Eſto. Sit ita. Demus hoc illi. Concedo. Permitto &c.* Fac te ab omni alio crimine innocentem; at &c.

1. Conceſſionem aliqui diſtinguunt à Permiſſione, aliqui hanc ab illa in ſola materia diverſam faciunt, aiuntque illâ verba, hâc facta concedi. Etſi autem gravior evadat oratio, ſi concedimus facta, & ipſis adverſariis judicandi poteſtatem largimur; ambæ tamen conveniunt in una formali pulchritudine concedendi. Amat hæc figura ironias, & vehementiores figuras verborum, materiam petit perfrequenter ab Adjunctis.

2. Magnum decorem habet Conceſſio, ſi multa per Enumerationem concedimus, & unum ſolùm negamus; aut magna permittimus, ut majora ſubiungendi ratio aperiatur. *Euſeb.* cupio ſingula in exemplo contueri. *Eub.* id iterum virtus præbeat.

„Sed inquis: arduo ſtat vertice virtus

„tus, ſubeundi labores magni, ut illâ
„potiamur. Demus hoc judicio tuo.
„At hic ipſe labor, qui novellos virtu-
„tis colonos fatigat, provectos recre-
„at. Rident ſuper ardentes carbones
„Tiburtii, tripudiant Laurentii in cra-
„ticulâ, in horrida grandinantis fortu-
„næ tempeſtate Euſtachii triumphant.
„Habeant ſibi potentiſſimi Reges ſua
„in ampliſſimis regnis gaudia, habe-
„ant ſibi divites ſuos in vaſtiſſimis o-
„pibus riſus, habeant ſibi denique
„mundi aſſeclæ ſuas in ridentis fortu-
„næ gremio delitias: longè major, pu-
„rior, ac ſyncerior voluptas repoſita
„eſt virtuti. Lucra ſua haurit ex di-
„ſpendiis, lætitiam ex doloribus, ex
„morbis ſalutem. Verùm ſi hac non
„minus fidem, ac experientiam tuam
„ſuperant, eſto, detonet in virtutis
„cultores grandis tempeſtas, fatigen-
„tur curis & laboribus, expolientur
„omni ſolatio. Num propterea vir-
„tutem ipſis minus jucundam dixe-
„ris? Erras. Sola namque robur con-
„tra malorum turbines confert. Sci-
„unt ſe in exilio verſari, ſibique naſci
„ex laboribus merita, ex meritis æter-
„na præmia.

IV. *Euſeb.* Intelligo dicta: ſed dic ſodes 334. *Correctione*

ſodes, cui figuræ poſt relatas primatum dabo ? *Eub.* Correctioni, quam effers, ſi propoſitam ſententiam (non verbum ut ſupra n. 329.) emendas alia ſubtili,& acutâ, ut appareat poſt multa dicta, & magna ; plura, & majora reſtare. Et hæc Correctio eſt duplex: totalis, & partialis.

1. Totalis eſt, cùm totam quandam Sententiam retractamus, & nosmet corrigimus, vel quòd nimis parùm dixerimus, vel quòd eorum, quæ dicenda fuerant, obliti ſimus.

2. Partialis eſt, cùm dictum alicuius quoad aliqua concedimus, quoad aliqua autem corrigimus, ut aliquid nervoſius pro noſtra ſententia ſufficiamus. Utriusque formam affero.

"At verò quid ſtudia ſanctioris vitæ „deprædicare à jucunditate, à quiete, „à ſolatiis contendo? cùm tamen illam „Sancti fugiant, iſtam ponant, hæc a„verſentur ? Necdum his dictis eo„rum aſſequor ſenſa. Delitias non ſo„lùm fugiunt, ponunt, & averſantur, „ ſed inter ſua detrimenta recenſent.

„2. Soli Deo placere volunt: huc „ſua deſideria velut in ſcopum ejacu„lantur ; huc uno, eodemque ſenſu „referunt adverſa, & proſpera deri„vant.

„vant. - Famem, ſitim, carceres, exi-
„ia in maximis lucris reponunt. Sed
„quid in his minimis hæreo? Adeo
„virtutis, Deique amore pleni ſunt, ut
„mortem ipſam per mille tormenta
„accerſitam maximum lucrum cen-
„ſeant,& ſummam animi voluptatem.

V. Ritè notatis iis, quæ n. 187 de Enumeratione partium diximus, facillima redditur, de qua hoc quinto loco, Diſtributio. *Euſebius.* Quid ergo eſt, & quid ejus uſus, ac forma? *Eubulus.* Eſt figura, qua rem quamlibet in ſuas partes diſtributam ita producimus, ut cuivis parti 1. ſuum verbum, aut 2. ſubſtantivum, aut 3. adjectivum, vel tandem 4. adverbium aptè reſpondeat. Singulis lux accedet, ſi res creatas mecum in hac theſi diviſeris. 335, *Diſtributione per verba*

Sancti virtutem rebus creatis præferunt,

1. „Virtus ipſis omnis pulchritu-
„do: hac animam ornant. Virtus ip-
„ſis robur: hoc ſe contra dæmonis
„aſſultus firmant. Virtus ipſis ſapientia:
„hanc factis diſcunt, exemplis docent. *ſubſtantiva*
„2. Opum deſideriis paupertatem, vo-
„luptatibus caſtimoniam, libertati vo-
„luntatis objiciunt obedientiam; &
„tamen in paupertate ſua divites ſunt,

„castitate fontes syncerae voluptatis a-
„periunt, obedientiâ spiritûs libertate
adiectiva „potiuntur. 3. In laboribus sunt inde-
„fessi, in periculis fortissimi, in bene
„cœptis constantissimi. 4. Propone ip-
„sis opes, famam, & aut in sago fortia,
„aut in togâ grandia nomina: contem-
adverbia „nent generosè. Educ ipsos in alta Pa-
„riis columnis suffulta palatia: praefe-
„rent vilia mapalia fortiter. Fabrica
„diademata, offer sceptra, erige solia:
„abijcient magnanimiter. Cùm mundi
„asseclae tempus otiosè, opes prodigè,
„famam miserè perdunt: interea pro-
„bi lucrantur aeternitati immensùm,
„locupletant animam copiosè, gloriam
„apud omnes Cœlites nunquam inter-
„morituram sibi comparant pereñiter.
„O gloriosam virtutem! ô divitem! ô
„lucrosam virtutem! Utinam possem
„te sufficienter laudare, constanter
„quaerere! & feliciter invenire.

adjuncta 1. Nonnunquam juvat cuiusdam nominis membra nudè proferre, & dein primùm ex Adjunctis, aut alio Loco deducere. Uti est: *Rex deserit propter virtutem regnum.*

„Exempla

„Exempla cupis? Adi faſtos Bene-
„dictinos: hîc reperiri facillimum e-
„rit Carolomannos, Bambas, Ceo-
„lucephos, & Rachiſios, ut à ſola vir-
„tute poſſent regi; Galliæ, Hiſpaniæ,
„Angliæ, & Longobardiæ regna po-
„ſuerunt, purpuram cucullâ, diade-
„ma caputiô, ſceptrum ligone, aulam
„anguſtâ cellâ permutârunt.

Ut hæc ipſa deducas per adjuncta ſic pertexis dicta, ex *Quando*, *cur* & *Quomodo*. *temporis*

„In medio victoriarum curſu ſemet
„longè fortiùs vicerunt, & ſe ſe vic-
„tos in monaſtica vincula conjece-
„runt. Ut una virtute potirentur, *finis*
„omni ſe ſe militari, regníque robo-
„re diſpoliârunt. Quis hîc memo-
„ret regias manus perpurgandis ollis,
„excolendis hortis, everrendis cel- *modi*
„lulis, & plantandis vineis diu oc-
„cupatas, multùm diſtentas, hilari-
„ter admotas, frequenter fatigatas!

2. Illuſtris eſt hæc figura, ſi cujuſdam rei partes, perſonæ membra, aut animi dona, vel vitia dividas, ac ſingulis partibus, membris, donis vel vitiis aptum elogium, aut vituperium ſubjungas. Ut ſi nomines for- *partes*

mam, fœdam dicas; ingenium, hebes dicas, &c.

„Pone tibi ob oculos horum cœles-„tium Regum inceſſum; humillimus „eſt: jejunium; continuum eſt: ora-„tionem; flagrantiſſima eſt. Diem „agunt laboribus, noctem vigiliis, vi-„tam omnem virtutibus. Si ſpectes „eos ad frugalem menſam, illudunt „fami; ſi contuearis eos in ſacro o-„deo, pſallunt ut angeli; ſi comite-„ris eos in cellulam, nullum horæ „momentum ſine virtutis exercitio „ſibi dilabi ſinunt.

ſimplices. 3. Quandoque tantùm ſemel ſingula ſingulis reponimus.

„Nunc demiſſione ſe abiiciunt, „nunc ſpe ſurgunt, nunc fortitudi-„ne roboreſcunt. Modò oculi in „lachrymas, mens in affectus, ani-„mus, & lingua ſolvuntur in ſuſpi-„ria. Miſeris opem, noxiis pœni-„tentiam, probis flagitant perſeve-„rantiam.

Comparationem. 4. Valet plurimùm Diſtributio, cùm inter duo comparationem inſtituimus, ac cuique ſuam laudem, aut vituperium apto verbo rependimus. Ut hîc vides.

„In

„In alios benigni ſunt,in ſeipſos ſe-„veri. In mediis turbis potiuntur quie-„te, in ſumma quiete perpetuum ſibi „ſumunt laborem. Tempus om-„ne tranſcribunt virtuti, vitium „omni proſcribunt tempore. Gra-„tiam humanam fugiunt, divinam „quærunt. In utroque ſunt mira-„biles. Illud quis non ſuſpiciat? „hoc quis non miretur? Illud homi-„ne quid majus dicamus, hoc cœleſ-„te, & divinum.

5. Perquam familiaris ſacris oratoribus, ad docendum apta, & firmandæ memoriæ præprimis proficua illa Diſtributionis forma eſt, quâ cuivis membro ſuam rationem breviter ſubnectimus.

„Cùm orant, ingenti fiduciâ pe-„tunt: norunt divinam liberalitatem. „Cùm pro concione dicunt, verbis, „geſtíſque mirum tonitruant: no-„runt vitiorum fæditatem. Cùm „ſoli latent, aut in publico patent, „mirabili circumſpectione motus „quosvis conſtringunt: norunt di-„vinum oculum abdita quæque pe-„netrantem. Minima curant, ut „Magno Deo placeant; honores ad-„mit-

„mittunt, ut latiùs prosint; abjecta „subeunt, ut tutiùs lateant.

subjectionem

6. Non minus pulchra est illa Distributio, cùm paria membra paribus confers, & Subjectione (de qua n. 342) conjungis. Exemplum præbet hæc responsio Sanctorum.

„Si jam quæras causam, cur maximi Reges tantum laboris in virtutis „studia contulerint; respondebunt illi, &: cætera inquient bona aut „bona non sunt, aut usu mala fiunt. „Divitiæ pauperes, honor sæpe destituit opulentos. Forma morbis „teritur, robur absumitur senectute. „Si possideas omnes humanæ cupiditatis thesauros, conservari non possunt sine labore, amitti certò debent „in morte. At virtus pauperem ditat, „honorat opulentum; pueritiam „colit, ornat senectutem, adversa „perfert fortiter, prospera admittit „humiliter hominibus utilissima est, „Cœlitibus gratissima. Quamdiu vivis, docet vivere, si moriendum, „mori. Comitatur ad labores, ut „roboret; deducit in cœlum, ut co„ronet.

remotionem

7. Ad probandum efficax est illa di-

diſtribuendi ratio, cùm removes, & evertis, quæ contrariæ parti videntur ſuffragari. Ut hujuſce rei formam habeas, audi ulterius cœleſtes hos præcones.

„Quamdiu opes circumfluunt, „fortuna blanditur, fervet ætas, ho„nor extollit, & gloria famulatur; „multi quidem ſunt, qui tua exambi„unt obſequia, tuam licitantur ami„citiam, tuas decantant laudes. „Sine, vertatur ſcena; ſolus eris. „Cum tuo corpore tui ſepelient me„moriam. Tibi eris in execratione, „hominibus in oblivione Divinæ Ne„meſi in æterno ſupplicio.

8. His ſimilis eſt illa, quâ evincimus id fore adverſæ parti damno, quod ſibi ſpondebat fore patrocinio. Pulcherrima, ſimul atque fortiſſima eſt hæc ratio, ſi membra jam prolata reducuntur novâ veſtita energiâ. *rejectionem*

„Tunc, tunc inquam nulli tibi e„runt uſui, quæ poſſediſti: jam poſ„ſidentur ab aliis. Nulli erunt auxi„lio famulantium turbæ: non am„plius ſunt. Nulli erunt ſolatio „Deus & omnes Cœlites: illis „non ſerviiſti. Cum bonis nunquam „eſſe

„eſſe poteris, cum malis ſemper „eſſe debebis. Malos habebis in tor„mento ſocios, bonos de ma„lis judices. Præteriti memoria do„lorem, futuri deſperationem exci„tabit. Omnia, quæ virtutis exerci„tio in tua commoda deducere pote„ras, virtutis neglectu in tua detri„menta, cruciatus, & miſerias con„vertentur. Illa nullâ poterunt indu„ſtriâ depelli, iſti nulla patientiâ vin„ci, hæ nullâ ſpe finiri; ſed eris ſem„per in tuis miſeriis ſine ſolatio infe„liciſſimus, in tuis tormentis ſine ceſ„ſatione afflictiſſimus, in tuis dam„nis ſine miſericordia egentiſſimus.

Plura alia de hac pulchra figura dici poſſent, ſed ea in libris invenies: proin cedo tuæ induſtriæ, ut legas, & quæ legiſti non ſine induſtria excerpas. *Euſebius*. Placet conſilium. Quid ſentis de Occupatione?

335 *Occupatione*

VI. *Eubulus*. Magna, & præclara. Eſt námque figura, qua non ſolùm arcana cordis ſenſa inſpicimus, ſed etiam, cùm contra noſtram ſententiam militare videntur, amolimur. Ut autem graviter amoliaris, diligenter non minùs, ac prudenter per-

perpende, quæ ſit hominum æſtimatio, quæ judicia de re, quam tractas, quò propendeant animi, quid contra te, & tua dicta poſſit proponi. Ex quo vides duplicem eſſe Prolepſin (ſic etiam nominamus Occupationem) unam, qua propellimus; alteram, quâ contra adverſarios velut in aciem producimus ea, quæ contra nos videntur militare, atque tela in nos cuſa, & excuſa in adverſantem partem retorquemus. In illa quieſcimus, ſi probaverimus præjudicia non officere cauſæ noſtræ; hac ulterius connitimur, & præjudicia in cauſæ robur convertimus. Illam communiter tractamus hiſce formulis: *Dicet forſan aliquis. Sed quæretis. Videor mihi clarè intueri quorundam ſenſa exiſtimantium &c. At ne quis exiſtimet. Non afferatis mihi illam exiſtimationem, quam &c. Nam. Illam animamus ſimili ritu. Hæc tela in vos ejaculor. Id ipſum vos compellere deberet. Sententiam ex ore veſtro fero. Qui ſic pugnat, ſemet impugnat. Hæc ipſa verba ſunt tonitrua; queis terreamini. Si ſic itis, quàm difficili vos labyrintho involvatis, diſpicite. At hac ratione cauſam veſtram non poteritis evolvere,*

vere, ſed magis involvetis. Jam utriusque formæ exempla producamus, & quidem.

1. „Hæc cùm memoro, videor mihi audire quorumdam tacita ſenſa. „Laudant hi Sanctorum præclara virtutum exempla, conſternantur miſerâ eorum cataſtrophe, qui virtutem in neglectu, aut luſu habent, & „tamen ſe in virtutis ſemitam non ſinunt deduci. Studia virtutis ajunt, „ſunt difficillima, humana natura libertati aſſueta tam rigidas leges non „patitur, externa vitæ negotia componi cum virtutis exercitatione vix „poſſunt. Senſus rebellat, voluntas „repugnat, potior pars hominum „contraria ſequitur exempla, & operum difficultate abſterretur. At eſto, „ſint virtutis opera difficilia, ſed ſunt „quoque præclariſſima; libertatem „reſtringunt, ſed noxiam; munera „externa non impediunt, ſed promovent. Senſus rebellat, ſed impiè; „voluntas repugnat, ſed ſtolidè; exempla hominum à virtute deviant, „ſed damnoſiſſimè. Quid ergo dictis, „excuſationíque tuæ patrocinii accedet, ſi ſequaris damnosè deviantem? „ſtolidè

„ſtolidè repugnanti cedas, & impiè „rebellantem tibi ſinas dominari ?

2. „Potiori, & omni jure hæc ipſa „te ad virtutis exercitationem com- „pellant. Sint probitatis opera diffi- „cilia,tu tamen difficiliora ſubiiſti pro „vaniſſima honoris umbra. Libertas „tua pertrahet te ad æternam captivi- „tatem, niſi eam virtutis legibus cap- „tives. Senſus, voluntas, & quæ- „cunque virtuti rebellant, ad pacem „pertrahi non poſſunt, niſi aut virtu- „tis vi devincantur, aut ejusdem præ- „ceptionibus devitentur.

VII. Prolepſi affinis ordine, & munere eſt Oppoſitio, qua orator dictum, aut factum refellit dictis aliorum, & factis, ita tamen, ut ſe fingat intereà quieſcere, ut finita Oppoſitione fortiùs in adverſarium inſurgat. *Euſebius.* Placet res, ſed non capio rei modum. *Eubulus.* Virtus dabit. 337. *Oppoſitione*

„Et obſecro, quis foret piorum ſen- „ſus, ſi miſeram veſtram excuſatio- „nem eorum auribus oggerere aude- „retis ? Quid cogitarent illi,illi inquã, „quibus fidem, ſalutem, ſcientias de- „bes ? illi inquam Bonifacii, Grego- „rii, Sanctiæ, alii, & aliæ innumeræ, „& innumeri, qui patriam deſeruére,

„ut tibi ſanam fidem ferrent in ſolo a-
„lieno? qui ſcripſerunt plurima, plu-
„ra tamen fecerunt, ut tibi virtutis
„iter planum redderent? quæ regio
„corpori horridum cilicium, tenellis
„membris nodoſos funes, aut graves
„catenas injecerunt, ut modicas ſal-
„tem difficultates virtutis nomine
„non reformidares? Viri maximi,
„quorum laudas vitam, optas mor-
„tem, quibus placere cupis, & ſa-
„lutem tuam committis; qui ſunt
„vivendi norma, & regula morien-
„di, ſe in anguſtas cellas non tam ab-
„diderunt, quàm ſepelierunt, & tu
„libertatem quæres? Quid cogita-
„bunt, ſi ſic vivis? quàm ſeverè ju-
„dicabunt, ſi ſic morieris? Vide,
„iterúmque vide, ne, quod illis glo-
„rioſiſſimum fuit tanta virtutis reli-
„quiſſe exempla, tibi evadat dam-
„noſiſſimum eadem neglexiſſe.

Oppoſitioni cognatæ ſunt Dejectio, Rejectio, & Suppoſitio. *Euſebius.* Singulas mihi explices velim.

338. *Dejectione* 1. *Eubulus.* Dejectio efformatur, cùm propoſitæ ab adverſariis objectioni orator non per ſe, ſed per alium reſpondet, & objecta diluit per interpretem, aut teſtem, qui ea, quæ pro-

probanda ſunt vidit, & certè cognita habet. Qualis eſt.

„Verùm tu jam iterum tergiverſa„ris,ac inquis modernam ætatem non „eſſe ferendis priſci temporis rigori„bus, ſufficere parvis parva, & mag„nis heroibus magna virtutis opera „relinquenda. Multa quidem mihi „forent, quæ in hæc tua dicta rege„rere poſſem. Sed tacebo ego: re„ſpondebunt pro me, pro virtute „ingentes Virginum tenerrimarum „turbæ. In delitiis educatæ inter a„micorum blanditias ad magnos ho„nores, & nuptias adoleverunt. Hæ „noſtra ætate, ſpectantibus oculis „tuis mundum omnem poſuerunt, „anguſtæ ſe cellæ incluſerunt, mo„naſtico rigori ſe mancipârunt, ac „inter delitias habent, quidquid vir„tutis nomine patiuntur. Vivunt e„tiamnum te ſexu inferiores, com„plexione teneriores, ætate inferio„res; & has pro Deo, pro virtute pro „ſalute ſine rubore tuo videas maxi„ma conficere, qui nec parva audes „aggredi? Cur vir factu exiſtimet „impoſſibile, quod fæminæ certatim „faciunt? & hilariter exequuntur?

2. Rejectionem gemino modô for- *Rejectione.*

mamus; primò, si, quod ab adversario erat objectum, velut indignum, cui diluendo immoreris, reiicimus. Secundò, cùm id, quod nunc dicendum videbatur, in locum aptiorem reservamus. Utriusque legem accipe.

1. „At est forsan alius, qui virtutem tetricam dicat, nec omnibus esse necessariam; & sufficere multis non esse malos. Sed quis virtuti illi syncerae voluptatis fonti, illi aeternae beatitatis semini tristitiae calumniam affingere auserit. Nolo his diutius inhaerere: ratio, experientia, aetas omnis contestatur, nec altos honorum gradus tutò conscendi, nisi virtute erigantur, nec mediocrem constanter retineri, nisi virtute conservetur, nec abjectam conditionem aequanimiter ferri, nisi virtute toleratu facilis reddatur.

2. „O quanta hanc in rem dici possent! sed ea in eum locum, in illud tempus, in illud otium reponamus, in quo diuturnior erit loquendi facultas, & convincendi potestas. Sufficiant haec pauca, & modica, ut statim ad plura, & majora transeamus.

Suppositione

3. Suppositio tandem fit, si illud, quod

quod confirmas, pèr hypotheſin ponis in contrario, ac dein ea, quæ ex re ſic poſita per conceſſionem ſequerentur, graviter producis, & acutè in adverſarios contorques. Eſt hæc figura difficilis, ſed in paucis præclara. En periculum facio.

„Antequam tamen hinc digrediamur, hoc unum liceat proferre, „dicamúsque virtutem tetricam, ac „ſine virtute vitam hanc ritè duci „poſſe, permittamus non omnibus „eſſe neceſſariam. Sed quàm his aſ-„ſertîs laudem nobis comparabimus? „niſi quam impii ex ſacrilegiis, quam „infames ex ſceleribus? nullam non „ſolùm laudem à Deo, aut præmium „à veritate merebimur, ſed Dei, „proborúmq; odia pro meritis incur-„remus. Quid enim Deus tot legi-„bus urget, tot præmiis licitatur, „tot ſuppliciis virtutem inculcat, ſi „neceſſaria non eſt? Ubi ſunt illi Mo-„narchæ, ubi invenienda illa homi-„num ſors, quam Deus non juſſit vir-„tutis opera colere; aut quam, ſi ne-„glexit, non ſuevit punire? Deum „facis in condendis legibus injuſtum, „in conferendis præmiis cæcum, „in irrogandis ſuppliciis cru-

„delem, si virtutem hisce spurcitiis „notare non desinis. Tandem intel„lige, quàm alieni ab omni probita„te, quàm omni scelere pleni sint, qui „neglecta mentis, & virtutis culturâ „in corporis voluptates effunduntur.

339. Paraphrasi

VIII. Oppositioni subjungamus Paraphrasin, quam Latini Interpretationem dicunt. *Eusebius*. Quid est, quis ejus usus? *Eubulus*. Est figura, qua dictum, aut factum alicujus in sententiam nostram apta commentatione deducimus. Ejus usus varius est. 1. Nonnunquam similibus modis construitur: *quasi dicat*. Aut *Id est illud grande Sacramentum. Hoc facto, ut ego quidem arbitror, docere voluit illam reipublicæ Christianæ tam necessariam scientiam*. 2. In chria non solùm celebrem locum, sed integram partem occupat, plurimas figuras exornat, à plurimis exornatur. 3. Laudem dicti, & dicentis, facti, & facientis extollit, describítque non solùm ea, quæ factô sensibus exhibita sunt, sed etiam intentionem agentis, fines, circũstãtias. 4. Hujus loci potissimùm est illa Paraphrasis, qua causas congerimus, cur hoc dictum, vel factum sit,

&

& ſingulas vel per definitiones conglobatas, vel effecta interpretamur juxta præfixum thematis noſtri ſcopum. 5. Novum decorem recipit hæc figura, ſi dictum, vel factum, quod præ manibus habemus, conforme dicimus; aut etiam majus pronuntiamus dictô, vel facto maximi cujusdam viri, quem nemo non æſtimat, & cujus ſapientiam perſpectam habemus. 6. Tandem energica fit Paraphraſis, ſi duplicem interpretationem dicto cuidam, aut facto accerſimus; unam propriam, alienam alteram. *Euſeb.* Illuſtra has leges exemplis. *Eub.* Præbeo ſingulis, quo poſita ſunt, ordine lucem.

„Atque hac in re non ſolùm de „noſtris commodis, ſed periculis agi-„tur. Sit quispiam noſtrûm, qui virtu-„tem in neglectis habeat, & næ non „ſolùm ingentia perdet emolumenta, „ſed & ſemetipſum. Fidem aſtruit „Ser. 21 ſanctimoniâ, rerumque expe-„rientiâ maximus Purpuratorum P. P. „Doctor Petrus Damiani. *Quique* in-„quit, *fideles arbores ſumus intra ſanctæ* „*nemus Eccleſiæ illius ſummi agricolæ diſ-* „*poſitione plantati.* 1. Quaſi dicat: „quotquot Chriſti legem, & fidem

„ſervamus,arbores ſumus. Plantamur,
„& rigamur,ut fructus feramus. 2. Arbores ſumus in fæcundiſſimo Eccleſiæ horto à cœleſti illo Olitore conſitæ. Hunc(paradiſum potius dicam, „an hortum?)ut excoleret,ſubiit labores plurimos; ut fæcundaret, fudit „ſuum ſanquinem; ut irrigaret, aperuit Sacramentorum canales; ut ſepiret, divinæ potentiæ muro communivit. O quot in hoc horto areola liliis virginitatis candeſcunt! Confeſſorum violis abundant! & Martyrum roſis rubeſcunt. 3. Immortales „tibi ô beatiſſimeDoctor pro tam præclara ſententiâ grates. O ſi fideles „vitam ſuam ad mētem tuam componerent! ô ſi cogitarent ſe arbores in „tam divino horto plantatas, quàm „erubeſcerent ſterilitatem! quàm profundas agerent humilitatis radices! „quàm pulchrè florerent! quàm ſollicitè germinarent! quàm copiosè „fructus proferrent! 4. Quàm multa „autem, quamque fortia hunc virum „promoverint argumēta, utEccleſiam „hortum quendam diceret, quis explicet? Quidquid in ullo horto pulchrum,jucūdum, fæcundumque excogitari poteſt, longe majori pulchri-

„chritudine, ampliori jucunditate, glo-
„riosiori fæcunditate in Ecclesiæ viri-
„dario invenitur. In id è cælesti pala-
„tio descendunt angeli, in eo deam-
„bulat Deus, id emit Christus pretio
„vitæ suæ. Hic hortus locus est deli-
„tiarum: quot canunt in sacris odeis
„religiosi ascetæ, tot personant lusci-
„niæ. Viretum est divinæ opulentiæ:
„quot sacrorum dogmatum commissa
„habet semina, tot præsentissima con-
„tra animæ morbos profert germina.
„Excultissimus campus: nullum tam
„exiguum producit fructum, qui non
„in cœleste inducitur horreum. 5.
„Hunc de Ecclesia sensum Christus il-
„le divinus Olitor statim animis no-
„stris inserere voluit, ut primùm hor-
„tum hunc suum (Ecclesiam aio)
„plantare cœpit. Se, & Patrem cœles-
„tem agricolam dixit: quid mirabi-
„lius? Ficulneam in infructuosam ma-
„ledixit: quid insolentius? Arida ligna
„exscindi, & in ignem mitti jussit:
„quid terribilius? 6. Horum mirabi-
„lium mysteria, causas, finesque, si dic-
„tis assequi vellem, quàm amplus sen-
„sus, quàm ingens eloquentia require-
„retur! Præcipua sanè fidei nostræ hîc
„capita colligenda forent. Vos igitur

„boni angeli, qui excolẽdo huic horto „felicissimè operam vestram commo„datis, vos explicate, quàm plena res „horroris sit ex horto isto evelli, & tan„quam vile lolium abijci: exscindi, & „velut sterilẽ arborem comburi. Ecõtra „verò declarate, quàm jucũdũ sit sem„per florere, nunquam aduri tam in„clementi adversitatum hyeme, aut „tam magno tentationum æstu per„celli posse, qui fructibus bonorum „operum nocere valeat. Dicite quàm „læta successura sit seges, cùm beatæ „hæ arbores unà cum fructibus in cœli „penuaria inferentur.

Eusebius. Quid adhuc de hac figura me scire cupis? *Eubulus.* Singulas voculas propositæ sententiæ, aut singulas partes propositi facti non sine lucro animorum per Paraphrasin explicari. Id facillimum tibi erit, si studiosè didiceris, in quo Loco singulæ particulæ consistant. Hujus examinis normam in allata sententia cape. *Quique* est in Adjunctis; reges, & principes, rustici, & cives. *Fideles* est in causa materiali in qua (ad n. 232.) qui fidem in Baptismo acceperunt &c. *Arbores* est in Comparatione. *Intra* iterum in adjunctis. *Sanctæ* est in causa

ſa formali. *Nemus* eſt in Comparatione. *Eccleſiæ* eſt in adjunctis, *illius ſummi agricolæ* eſt in cauſa efficiente, *diſpoſitione* eſt in adjunctis modi. Et tandem *plantati* eſt in Effectis. Si jam noris amplificandi, & argumentandi rationem, facillimum tibi erit hæc omnia pulcherrimè deducere.

IX. Taceamus jam de Paraphraſi, & tranſeamus ad Præteritionem. *Euſebius.* Quid eſt? *Eubulus.* Figura, qua profitemur nos præterire, aut nolle dicere (unde etiam Reticentia dicitur) aut non poſſe, aut non ſcire dicere, quæ maximè dicimus. Verſatur potiſſimùm in malis recenſendis, & bonis commemorandis. *840. Præteritione*

1. Mala recenſemus fermè ſimilibus notis. 1. Non queror ego hîc communem urbis calamitatem &c. prætermitto parentis cædem, quam nemo ſine lachrymis profari queat. 2. Sinite, ut ſim in trahenda longiſſimæ calamitatis catena quàm breviſſimus. 3. Nec ea hîc dico flagitia, & ſi dicerem, negare non poſſes. Taceo igitur tuam libidinem&c. 4. Caſtis auribus injuriam facerem, ſi tam fœdis ſceleribus commemorandis temerarem. 5. Ne hanc mephitim mo- *malorum*

movere cogar, brevis ſim neceſſe eſt. Ergo tranſilio. 6. Sed quid verba in ventum ſpargo? Vos ipſi ſcitis, quoties divinas, humanáſque leges violârit: non opus eſt hîc recenſere illam rabiem &c. qua debacchatus eſt in cives. 7. Audiſtis hæc pauca, plura tegamus, ne &c. Nihil dicamus de furtis. 8. Quid me attinet illa dicere? vetera omnia prætermitto, recenſendis recentibus ſceleribus parùm verba, & aures commodemus. 9. Omnia præteribo, quæ mihi turpia videbuntur, neque ſolùm, quid iſtum audire, verùm etiam quid me deceat dicere, conſiderabo.

bonorum per adjuncta laudantis

2. Quod verò attinet Præteritionem in bonis, ſpectare debes præprimis adjuncta tam perſonæ laudantis, quàm 2. laudatæ; in operibus autem laudandis præ cæteris 3. locus, in quo geſta, 4. ſocii, 5. tempora, 6. modus, quo geſta ſunt, & 7. auxilia, quibus geſta ſunt, conſiderentur. Ex his expeditam laudandi rationem paries his ferme notis. 1. Si ea pollerem facundiâ, quam ipſa operum exigit magnitudo, quàm illuſtria referre poſſem, de Sanctiſſimi viri fortitu-

titudine? 2 Dicerem hîc de tua prudentiâ domi ſpectatâ, in militia forti, ſi non malles magna facere, quàm magnorum operum laudes audire. Ne vulnerem tuam modeſtiam, non prædico facinus illud &c. 3. Si his memorandis diutius immorarer, quando referre Divi in carceribus patientiam, in prædicandis Chriſti legibus charitatem valerem? Geographos imitor, & Europam, quam virtute excoluit, in modicam pagellam contraho. Hîc ſolùm monſtro Ratisbonam, quam convertit &c. tranſeunda eſt ipſa Roma, quam &c. 4. Quid ſi ſocios facinorum referrem, ſibi laborem ſumpſit, ipſis laboris laudem dedit. Ipſe mihi ſol, ſocii ſtellæ videntur. Non ſum ego illa aquila, quæ hos fulgores videre, ne dicam recenſere valeat. Taceo proin ego, & aquilis hunc ſolem in plena meridie collucentem contemplandum relinquo: mihi ſolam orientis auroram contueri ſufficit. 5 Nolim ego hîc commemorare pauculos illos dies, quibus Divus tantum negotium confecit, quod alii integris annis non auderent abſolvere. Quis memoret illas noctes? &c. illos dies? &c.

ſocietatis

temporis

6. Non

modi 6. Non hîc ego affero fortitudinem, qua opus aggreſſus eſt, non celeritatem, qua pertexuit, non prudentiam, qua abſolvit. *auxilii.* Tandem 7. viſi ſunt ipſi Superi ſubſidium, & arma contuliſſe. Prius me verba deficient, quàm minimam eorum partem recenſeam, quibus ipſe res maximas confecit. Omnia hîc præteribo, ſolam animi moderationem, qua in medio adverſitatum conflictu conſtanter uſus eſt, recenſebo.

341. *triplici* 3. *Euſebius.* Sed quotuplex eſt Præteritio? *Eubulus.* triplex, Præciſio, Pœnitentia, & Attemperatio.

Præciſione. Hac utitur orator, cùm textum verborum ita argutè ſecat, ut aliqua quidem dicat, plura tamen meditanda relinquat.

Pœnitentiâ Illa verò utitur, cùm multis jam recenſitis argumentis ſemetipſum arguit, quòd nimis multa, vel nimis auſterè dixerit.

Attemperatione Iſta tandem utitur, cùm ſuo fervori quaſi legem, & modum ſtatuit orator, ne adverſarium nimium inſectari videatur, aut omnia, quæ dici poterant, dixiſſe. *frequenter in circumſtantiis quinque* Antequam tibi pro ſingulis more noſtro exempla ſubiiciamus, notes velim hujus figu-

ræ

ræ frequentem uſum eſſe, potiſſimùm tamen; 1 in tranſitione, 2 in objurgatione, 3 in rerum exaggeratione 4. in amplitudine rerum, etiam modicarum, dummodo ſimul rem unam magnam conſtituant, 5 cùm aliquid indecorum dicendum eſt, aut audientibus ingratum, aut potioribus notum, aut quodam titulô celandum. Nunc jam Præciſionis exemplum eſto.

„Ex his facilè dices, quanta ex virtutis cultu boni lucra, & ejusdem neglectu mali quique detrimenta referant. Unde nolim tibi grandia illa calcaria incutere, humanas divinasque leges producere, virtutis pulchritudinem depingere, & vitij fœditatem; ſolùm ego digitum intendo in viam, quam pergis; & viæ terminum, ad quem duceris. Viator es, pergis per viam temporis ad terminum æternitatis. Hîc jam ſiſte, & ipſe conſidera, quæ tibi exercendæ virtutis incumbat neceſſitas. Non commemoro altos ego hujus viæ ſcopulos: hos, niſi virtus roboret, non ſuperabis. Nil dico labyrinthoſos vaſtiſſimæ ſylvæ meandros: niſi virtus ducat, deviabis.

„Tran-

„Transilio insidiantium ubique „prædonum discrimina: hæc, nisi vir-„tus comitetur, non effugies. Et si „tandem attigeris terminum æterni-„tatis, an placebis sine comitatu vir-„tutis? Nequaquam: tu ipse tibi in-„terpretare, quæ sors hos viatores ma-„neat, & ex periculis alienis tibi tua „vaticinare. Quotquot sine virtute „perveniunt, intereunt. Huic verita-„ti nil amplius addo, ut totius animi „tui sensa, & oculos in eam conver-„tere possis.

Exemplum Pœnitentiæ habes, si eandem thesin sic deduxeris.

„Sed quid ego te in tam tristi sta-„tione colloco, qui virtutis viam non „tam incedis, quàm curris? Mallem „hæc adulteris, & latronibus, qui-„bus omnis vita in cædibus, & vo-„luptatibus ducitur, dixisse. Tu, qui „virtuti te, antequam noxam scires, „consecrâsti, cœli aureas domos cògi-„tatu tuo subi, & quanta probos præ-„mia maneant, considera.

Demum formam tibi attemperationis hac notâ sisto.

„Quid quòd nec iis velim omnem „terrorum catastrophen afferre, qui „in

„in vitiis omni emendationis ablata „ſpe jam obriguerunt. Quid enim „non dicendum foret de pœnarum „acerbitate? de miſeriarum æternita- „te, de dæmonum ſocietate? Me dies, „vox, latera deficiant, ſi nunc ha- „rum rerum minimam partem voci- „ferari velim. Nimis urgerem, & „potius deſperationis barathrum ape- „rirem, ſi ſingula, quæ reprobis pa- „rata ſunt ſupplicia, perſequi cupe- „rem. Utinam hi ſaltem ad lanci- „nantis, & mordentis conſcientiæ a- „culeos animum adverterent! No- „lunt audire ignitas ſartagines, bufo- „nes illos, & ſulphur, rotas illas, & „ollas, quas vindex ſcelerum Deus „ſceleſtis paravit. Aſſentior illis, non „urgeo hos terrores. Sed poterone „tacere, quæ ipſi non poſſunt non „ſentire tormenta malè conſciæ men- „tis? horrorem mortis, quæ continuo „verſatur ob oculos? terrores judicij „ſeveriſſimi, qui multitudine, & mag- „nitudine ſcelerum horrendùm exag- „gerantur? Etſi tacerem ego, calva- „ria mortuorum loquerentur, ad vo- „luptatum illecebras malè uſurpatæ „loquerentur creaturæ. Heu ſi hi ho- mines

„mines oculos ſuos in ſua membra, „dicam ſcelerum inſtrumenta; in ſuas „actiones, vel veriùs iniquitatis teſtes „converterent, quàm multa odiô, & „execratione digna viderent! Sed „præſtat hos relinquere, ne, quod ma„ximè fugimus, camerinam movea„mus. Ad virtutem redire præſtat.

342. *Subjectione ad*

X. *Eubulus.* Jam recenſenda venit figurarum præſtantiſſima Subjectio, qua orator ſeipſum interrogat, ſibíque reſpondet; aut 2. qua alium interrogat, non tamen exſpectato reſponsô de ſuo addit, quod non exſpectari videbatur; aut qua 3. aliquid fatetur aut concedit, ut aliud firmius ſubjiciat; vel 4. qua multa, quæ pro adverſariis dici poſſunt, breviter proponit, ac ad ſingula reſpondet, omnibúsque tandem confutatis melius concludit. Omnia hæc ferme in idem videntur recidere, cùm tamen varium decorem orationi conferant, ſingula non ſolùm exemplis illuſtranda ſunt ſed etiam aliæ formulæ ſuggerendæ. Norma itaque ſit hæc.

„1. Hanc, etſi ex omni rerum crea„tarum opulentiâ laudes emendicem, nun-

„nunquam tamen pro meritis præ-
„dicare potero. Gemmis compa-
„rem? illis pretioſior eſt; pulchritudi-
„ni conferam? ſine virtute ſuperbia
„eſt, & vanitas; ſoli ſimilem dicam?
„At virtus non ſolùm mundum ſu-
„is radiis, ſed etiam cœlitum ocu-
„los rapit, & capit.

„2. Et dic quæſo, quid amabimus in
„homine, quem virtus non commen-
„dat? Amabis perſpicacem intellec-
„tum? Sed in Lucifero perſpicacior eſt:
„amabis variam rerum experientiam?
„ſed ſine virtute quisque ſemet igno-
„rat: amabis variam operum domi,
„militiæve geſtorum magnitudinem?
„ſed hæc ſine virtute neminem
„magnum facere poſſunt, vi-
„lem quemque ſolent. At verò quid
„magnum, quid præclarum, quid
„pulchrum dico, quod in oculis Dei
„nihil, vanum, & fædum eſt? Pro-
„deant illi heroës, qui nulla Chriſti-
„ana virtute incitati terras, maria
„glorioſis nominibus inſignierunt.
„Quid jam ſupereſt de omni illa fa-
„mæ majeſtate? magni nominis um-
„bra. Quid à liberaliſſimo Deo ac-

„ceperunt pro maximis laboribus? „nihil. Quid prodeſt ipſis glorioſus „poſt ſuperatos hoſtes in Romana ca„pitolia ingreſſus? jacent in æterna „confuſione, ſine nomine, ſine ho„nore, ſine gloria, in igne in tormen„tis, in dæmonum ſocietate.

„3. Sed tollamus hæc, & conceda„mus cæteris rebus ſuum quoque pre„tium; dic, ſi ita vis varias artes, „grandes divitias, magnas dignitates „dignas eſſe deſideriis noſtris. Sed „quæ ex his omnibus bonis ti„bi poterit felicitas accedere? Si arte „quadam inclareſcis, prodes, ſed po„tius aliis, quàm tibi. Si abundas „opibus, fors ſtomachum lautitiis, fa„ciem gemmis, & auro, ſcrinia the„ſauris onerabis, ſed vacua manebit „anima, fæda mens, & animus macil„lentus. Si enixus es ad ſumma ho„norum faſtigia, multorum quidem „in te oculos convertes; ſed quid „hæc tibi conferent, ſi Dei, cui ſoli „placere deberes, avertis?

„4. Non diffiteor, ineſt quædam „bonitatis umbra robori corporis, gra„tiæ fæcunditatis, quieti pacis, &

ſiqua

„ſiqua alia ſuo in penu recenſet
„natura bona ; hæc tamen om-
„nia , cùm ſint fluxa , fugiunt ;
„cùm ſint paucorum , plurimos
„deſtituunt ; cùm ſint brevia, po-
„tius commodantur , quàm poſſi-
„dentur. Sola virtus prodeſt om-
„nibus. Pauper es ? æger es ? il-
„literatus es ? à mundo miſer pro-
„clamaris ? Si virtutem poſſides ,
„quàm dives es ! Emes cœlum. Si
„virtute polles, quàm ſanus es ! de-
„vinces äereas poteſtates Si vir-
„tutis dogmata audis, quàm doctus
„es ! in Eccleſiæ ampliſſimo Athenæo
„doctor evades ſanctimoniæ. Con-
„ſurgant in te omnes adverſitatum
„procellæ : virtus navis eſt ; emer-
„ges in portum quietis. Contor-
„queant in te tot ſpicula , quot
„verba : virtus thorax eſt ; percel-
„li poteris , non lædi. Coniuret
„mors ipſa immani morborum ag-
„mine in valetudinem tuam : vir-
„tus immortalis eſt ; vitam non ſi-
„nit aufferri , ſed in melius jubet
„commutari.

Ex his vides , quàm gravis hæc figura ſit 1. ad docendum, quàm ſua-

vis 2. ad delectandum, quàm fortis 3. ad movendum. Si docet; hortatur & refellit; vis ut delectet? flores affert, & miſcet blandimenta. Hac aptius nihil ad concitandos animorum motus: iram armat, amorem ſuccendit, &c. Ut hæc ipſa clariùs perſpicias, ſingulorum imagines exhibeo.

343. *docendum per hortationem.*

„1. Per tuam ego te ſalutem obteſtor. Quid times in virtute? an laborem? ſuaviſſimus eſt: eum dulciſſimus Jeſus ſuis manibus, & exemplis dulcoravit. An improborum ſannas? maxima laus poſſe à malis vituperari. An pronam ad malum naturam? virtute contra difficultates firmatur, & divina gratiâ in bono ſtabilitur.

confutationẽ

„2. Quid multis? homo virtutis ſtudiô ex naturæ anguſtiis emergit, & ad uſque Dei ſimilitudinem eluctatur. Nullis caſibus à mentis rectitudine dejici poteſt. Eriperes ei peccuniam? ab ea nullum alium majorem fructum, quàm ejus contemptum quærit. Eriperes ipſi amicos? cœlum omne, Deus ipſe ami-

„amicitiam ejus colit. Eriperes famam, bonam valetudinem, vitam ipſam? illa concuti malevolis linquis poteſt, non everti; hæc cùm infirmatur, ſpiritus magis confortatur; iſtam ſi amiſerit, immortalitate donatur.

1. Quæ ſunt diſperſa per omnes „creaturas, hæc virtus collecta tenet. „Pulcher eſt floribus pictus, fæcundis arboribus diſtinctus hortus; pulchrior eſt homo virtuoſus: ſemper „floret, hyemem non timet. Cupis „pacis fructus? decerpe: oliva eſt. „Vis pietatis fœtum? collige: citrus „eſt. Deſideras varia humanæ mentis germina? lege: malus punica „eſt.

delectandum per varietatem ſimilitudinũ

2. Formoſus eſt æther: ſole flagrat, luna micat, ſtellis rutilat: „Formoſior tamen mens eſt virtutibus plena. Cùm Deum amat, ſolem æmulatur, & ſole eſt flagrantior. Cùm alios docet nihil lunæ concedit, & lunâ eſt præclarior. Cùm „in publicos cœtus procedit, cum „ſtellis certat, & ſtellis eſt amœnior. „O virtutem omni laude ſuperiorem!

figurarum

„Alta conſcendit contemplatione, in „ima ſe abjicit demiſſione. Oſtende ſis „humiles caſas? ſubit, & pauperta-„tem amplexatur. Monſtra Regum tri-„bunalia? conſcendit, & juſtitiam pro-„pugnat. Vis domi doctricem, militiæ „ducem? præit, & patriam gemino „gladiô propugnat. Pulchris deco-„rem, magnis ſplendorem, omnibus „rebus pretium conciliat.

movendum

Tandem movet hæc figura. Eam vim tribuit potiſſimum, ſi variatur, & modò perfecta, modò imperfecta uſurpatur. Perfecta complectitur tres partes, propoſitionem, enumerationem, ſeu remotionem, & concluſionem. Imperfectam dico, cui vel propoſitio, vel concluſio, vel utraque deficit. *Euſebius.* utriusque optem exempla.

344. *diſtinctione modi perfecti,*

„1. Inſigne tibi ſanctimoniæ proto-„typon ob oculos pone Gregorium „quendam pro Eccleſia laborantem, „aut Anſelmum aliquem pro fide de-„certantem. (*Propoſitio*) Quid prius „laudabimus? (*Enumeratio*) an pruden-„tiam in rebus gerendis? ſed juſtitia „videtur præcellere; juſtitiam antepo-„nemus? ſed fortitudo eſt glorioſior: „fortitudinem præferemus? at tempe-

ran-

„rantia de palmâ certat. Si contemple-„mur ipſos orationi vacantes, nihil „ipſis ferventius: ſi negotia ſalutis cum „homine tractantes, nihil ipſis zelo-„ſius: ſi divina myſteria calamô ex-„plicantes, nihil ipſis præclarius. Quo-„cunque oculos converteris, occur-„rent magna, quæ mireris; glorioſa, „quæ æmuleris; inſolita, quæ obſtu-„peſcas. (*Concluſio*) Quid pluribus? „horizontem laudum, quem his tan-„tis viris virtus deſcripſit, integris li-„bris non concludes. Hæc ſtatuamus „ipſis laudum compendia, eos plus „factis potuiſſe conficere, quàm nos „verbis aperire.

„2. Et tamen hi tanti viri maximis „ſe peccatoribus accenſebant, pueris „parebant, abjectum nihil detrecta-„bant pro ſola virtute ambitioſi. In-„juriis affecti ſunt; tacuerunt: ſpolia-„ti ſunt; bonorum jacturam ingenti „animo tulerunt: patria proſcripti ſunt; „exilia læti adierunt. *imperfecti.*

Ad figuras Sententiarum ſpectat Paradoxon, fitque, cùm aliquid ad-mirabile, & minimè expectatum producimus. Cujusmodi eſt ſi dicas. *Paradoxo*

„Cùm ex his clarè perſpiciam, „eam eſſe virtutis præſtantiam, ut ſo- „la nos poſſit felices reddere, Deo gra- „tos, & Eccleſiæ utiles, vitam, ſtu- „dia, labores meos ipſi conſecrabo. „Ante piſces per floridos diſcurrent „campos, & cervi celeri ſulcabunt „volatu nubes, ac in vaſto mari na- „tabunt altilium greges; quàm ut „ego patiar me vel uno momentô à „virtutis exercitio abduci.

§. VI.

Opere topiario deſcripta peripetaſmata *ſeu* Figuræ Sententiarum ad delectandum aptæ exhibentur.

345. *Pingere orationem figuris Sententiarum ad delectandum*

EUbulus. Saxeus ſit, neceſſe eſt, quem arte topiaria depicta tempe non delectant. Quid jucundius, quàm hîc longam arborum ſeriem, illinc roſis rubentes, liliis candentes, & vario florum luxu diſtinctas areolas intueri? Nihil tamen vereor aſſerere, longè majoris voluptatis feracem eſſe orationem floribus ſententiarum pictam

pictam, figuris variegatam, ac reliquo Rhetorices ornatu laboratam. Hortorum namque delitiis oculos duntaxat, his etiam animum inescamus. In illis videmus solùm terram arte cultam, his etiam mentem virtutibus excolimus. Illorum decor arescit æstu, hyeme sepelitur; horum pulchritudo nunquam senescit, sed etiam ubi consenuerimus animo vigorem ad probitatis opera subministrat. Toto ergo conatu jam in id incumbemus, ut topiariam, non illam, qua horti, sed qua oratio distinquitur, addiscamus. *Eusebius.* In quo consistit? *Eubulus.* Ferme in sola Hypotyposi eique agnatis figuris. Ut autem tibi levâ, dextráque uti ajunt, tua commoda propagem, exempla non jam de virtute in genere, sed de qualibet in specie hauriemus. Atque hac ratione aquires prudentiæ, justitiæ, & cujusvis alterius virtutis notitiam Rhetori non solùm utilem, sed præprimis necessariam. *Eusebius.* Vehementer probo consilia tua, eisque integrè consecro mea studia.

ſtudia. Quid ergo eſt Hypotypoſis?

346 Hypotypoſis I. Eſt oratio, qua ea omnia in re quapiam colligimus, ut eam ita graphicè poſſimus exhibere, quaſi oculis videretur, & auribus perciperetur. Atque ideo verba ſunt in præſenti efferenda, ea ſubſtantiva eligenda, & totus ſtylus ruptim ſecandus, ut, quæ dicuntur, velut nunc actu gererentur, intuearis. In uſu hujus figuræ frequenter adhibenda ſunt adverbia, pronomina, & verba demonſtrativa, uti ſunt. *Ecce tibi*, *En. Hic*, *Ille*, *videor mihi videre videor mihi audire.* Dictis lumen feret princeps virtutum moralium Prudentia.

„O felicitatem ineffabilem om„nium, qui virtuti ſtudent! Magiſ„tram iſti è cœlis demiſſam habent! „Ecce tibi Reginam! caput gemmis, „& corona fulget: ſceptrum mori „ramô cinctum levâ vibrat, globo „dextram admovet genibus impoſito, „fulget, & mira oris majeſtate ſe „non mortali parente, ſed divino „ſatam demonſtrat.

2. Ut autem hæc faciliùs in praxin deducas, notes velim Hypotypoſin, ſeu

ſeu deſcriptionem dividi in Iconem, in Effictionem, Notationem, & Demonſtrationem. Icon eſt, cùm ob ſimilitudinem, formam cum forma componis, ut ſi lupum ovinis exuviis tectum deſcribis, & dein applicas cuidam hypocritæ: Huc reducuntur Parabolæ.

Icone

Effictio eſt, cùm humani corporis formam exprimis, e. g. corpore eſt à ſenectutis, & laborum magnitudine depreſſo, caput calvitie nudum &c.

Effictione

Notatio eſt, cùm mores ex Loco Adjunctorum deſcribis. Uti ſi exhibeas virum religioſum in cella cum Superis negotia ſalutis tractantem.

Notatione

Demonſtratio tandem eſt, ſi, ut dicebam, ſimilia ita exprimis, acſi ante oculos geri, & verſari veraciter cognoſceres. His notatis facillimè aperimus fontes, ex quibus colores cuivis rei deſcribendæ aptos hauriamus.

Demonſtratione

3. *Euſebius.* Hi quot ſunt? *Eubulus.* quinque. Primus eſt Partitio, quà rem in ſuas partes diſtinctam deſcribimus. Cùm autem partes ſint variæ, etiam varia eſt partitionis deſcriptio. 347

partitionis varia.

Alia

Alia percurrit partes integrales; uti in homine ſunt manus, pedes, oculi &c. Atque ex hac ſic deſcribes iratum: manus turpiter jactat, pedibus ſtrepit, oculis fulgurat, ore ſpumat. Alia exhibet eas ſolùm partes, quas auditu, vel viſu percipimus: uti ſi extremum judicii diem deſcribens dicas: Angeli tubâ horrendùm inſonant, orbis contremiſcit, aperiuntur ſepulchreta, damnati ægrè ſua putrida cadavera è cavernis extrahunt, Beati ſolis inſtar fulgent. Atque adeo ſi pergas aurium, & oculorum judicium exquirere, invenies ampliſſimam materiam multa ad horrorem, & majeſtatem exprimendi, præcipuè ſi animum advertas ad ea, quæ fiunt in compitis, in valle Joſaphatana, in aëre, in terrâ, circa ſolium judicis, circa judicandos, & accuſantes, circa ſententiam, & ſupplicia. Alia tandem percurrit ſingula, quæ in aliqua re inveniuntur, ſeu partes ſint, ſeu adjuncta. e.g. velis deſcribere quorundam Sanctorum martyrium; exprimes ex parte tyranni ſævitiem in torquendo, truculentiam in damnando; ex parte Martyrum conſtantiam in tortura, forti-

fortitudinem in respondendo; ex parte satellitum petulantiam, dextras flagris, linguas probris armatas; ex parte spectantium lachrymas, gemitúsque piorum.

4. Secundus fons sunt Adjuncta, de quibus n. 215. præbéntque plurimam ad horrorem, vel delectationem dicendi materiam, uti patebit, si vel ea solummodò depromp-seris, quæ in hoc versu notissimo latent: Adjunctorum

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Exemplum esto cruenta strages, ac ex *Quis* ostendes communi periculo immistos duces, & milites, cadere florem nobilitatis: ex *quid* dices esse potius lanienam, quàm pugnam constitutam. *Ubi* describens monstrabis, quàm infestus locus sit victis, quàm aptus victoribus. Ex *quibus auxiliis* deduces, quàm multa fraudibus sint acta contra jura militiæ, aut gentium, quàm impari numero concursum sit &c. Ex *cur* ut opprimatur sana fides. Ex *quomodo* fuisse non solùm in vivos, sed etiam in mortuos sævitum, & non tam mortem, quàm truculentiam moriendi fuisse

fuiſſe quæſitam. Quid ſi ab his deſcendas etiam ad adjuncta nationis, religionis, veſtitûs &c. quàm multa graviter depinges. Liquidam gratiam recipit hæc deſcribendi ratio, ſi ſcenam adornamus, aut homines in patentem campum educimus, aliósve locos, velut aulam, templum, carceres &c. adumbramus, ut ex loci qualitate ipſum factum graviùs exhibeamus. Sic quis non miretur S. Viti conſtantiam, ſi eam in aula Diocletiani tyranni in theatrum producas?

Negationum 5. Tertius fons fundit negationes. *Euſebius.* Quî hauriam? *Eubulus.* Disquire ea capita rerum, quæ alicui loco, aut perſonæ &c ineſſe conſpexeris; ſic in republica ritè ordinatâ invenies pacem, in urbibus commercia, in agris fæcunditatem &c. Ut ergo belli damna ad horrorem deſcribas, dic hæc omnia ſublata, e. g. Nullus in agris colonus, nulla in foro commercia; non certo conſiſtitur loco, ſed quò quemque metus hoſtîs compulerit, fugitur; non filius patri opem ferre, non litteræ doceri poſſunt, nec diſci. Rarus in domibus

mibus inquilinus. Non humano, ſed ferarum ritu vivitur, nulla horroris calamitas eſt, quæ non ſentitur, aut timetur &c.

6. Quartus fons præbet meras affirmationes, ut ſi rem quampiam deſcribas afferendo, quid ſit in ſe, in quibusdam effectis, connotatis &c. *Affirmationum*

Sic pro vere dices. Ver princeps eſt temporum, & anni totius dulciſſimum delicium. Hortos pingit floribus, veſtit agros, ſuaviſſimâ ſylvas animat volucrum muſicâ. Quid de arborum gregibus dicam? comuntur viridanti foliorum cæſarie: de ripis fluminum? coronantur florido germinum diademate: de totius terræ pulcherrima facie: vario colorum, & amorum illicio intuentium oculos, & animos faſcinat, capit, & ineſcat.

7. Sed nullus fons tam puras ad deſcribendum lymphas emittit, quàm definitio conglobata, præcipuè, ſi metaphoræ, & troporum pulchritudine imbuatur. Uti ſi ſolem dicas ſiderum Regem, mundi delicium, omnium germinum parentem. Sed hanc quintuplicem deſcribendi ra- *Definitionū*

 tionem

tionem longè melius nobis Prudentia explicabit.

348. *exemplo Prudentiæ.*

1. „Hæc eſt illa cœleſtis moderatrix Prudentia : omnia componit, diſponit omnia, ſingulos regit, conſulit multitudini. Varia ſunt officia, nunquam tamen deſciſcit à ſemetipſa. Imaginare tibi domum, in qua Prudentia *oeconomiam* ducit. Ecce tibi quanta niteat in conclavibus munditіes, ſupellex, veſtitûs ratio, & famulitium omne ita reſpondet ſtatui, ut invenire non poſſis quidquam, quod carpas ab exceſſu, aut vituperes à defectu. Nemo otio, omnes ſibi, & labori vacant. Vide quanta ſit in labore moderatio, & quantus in moderatione labor. Incaſsùm nemo agit, nemo viribus majora, aut minora officiis aggreditur : mirare quàm egregiâ harmoniâ reſpondeant fini media, mediis finis! „2. Non minor Prudentiæ laus eſt militiæ, quàm domi. Contemplare mihi exercitum, qui ſub ejus ſignis militat. Caſtra referunt urbem non murîs, ſed viris cinctam. Pericula nec temerè adeuntur, nec timidè repelluntur. Fortitu-

„titudini convenit cum audacia, au-
„daciæ cum fortitudine. Campô
„confligendum eſt ? vir viro hæret.
„Cædi poſſunt, non cedere milites,
„& duces. Urbs obſidenda eſt ?
„Ecce quantum pulveris pyrii appa-
„ratum vides, quantum bombar-
„darum numerum! quanta fortitu-
„dine hi procurrunt, iſti quàm dex-
„trè mœnia quatiunt! illi quàm
„gnaviter cuniculos agunt! Nemi-
„nem videre licet, qui ſit alteri im-
„pedimento, hortamento ſinguli. En
„quantâ audaciâ irruant, vim vi re-
„pellant, quantâ velocitate in mu-
„ros enitantur, urbem capiant quan-
„ta virtute! Dubites jam, an trium-
„phantium major ſit moderatio,
„quàm fuerat pugnantium fortitudo.
„Nihil ſancitur in victos, quod ab-
„ludit ab humanitate. Urbem non
„tam captam diceres, quàm pervi-
„caciæ ſuæ ſervituti ereptam. 3.
„Spectâſti hactenus in caſtris Pruden-
„tiam. Nunc ut caſſidem ponat,
„ſceptrum vibret, jura *regnis* dicat
„in Regum, & principum aulis,
„contuere. Nulla in foro fraus,
„nulla eſt in tribunalibus iniquitas,
„nulla in templis impietas. Nemo
 „iniquè

„iniquè premitur, cui lege non con-„ſulitur; nemo publicè delinquit, „qui non coërcetur; nemo de re-„publica bene meretur, cui non ſua „præmia ſtatuuntur. Non liberta-„ti obluctantur leges, non legibus „libertas. Non onerantur vectiga-„libus ſubditi, nec tamen regium æ-„rarium exhauritur. Non litteræ „jacent, non artes torpent. Nec „deſunt bene meritis præmia, nec „impiis ſua ſupplicia. Non regnum „gubernari, ſed paradiſum quendam „terreſtrem adornari dixeris. Ne-„mo hoſtis, qui timetur; nemo a-„micus, qui non fovetur. Nec pax „ad luxum, nec bellum ad metum „trahitur. De Rege quid dicam? „non officit majeſtas humanitati, „nec humanitas majeſtati, utraque „in uno ſolio conſident, & Regem „non ſolùm amicis charum reddunt, „ſed & hoſtibus metuendum. 4. Hæ „ſunt artes Prudentiæ cùm jus reg-„nis dicit, ſpectemus nunc, cùm „reipublicæ *Politicam* tradit. Cùm „Principes moderatur, Regina eſt; „cùm membra communitatis inter ſe

„ſe componit, Magiſtra eſt. Ingre-
„ditur pagos, & colonos conjungit
„colonis ad agriculturam. Ingredi-
„tur urbes, & cives coordinat civi-
„bus ad colendas artes. Ingreditur
„officinas, & artificē artifici obſtrin-
„git ad promovenda opificia. Tri-
„bus quasque diſtinguit, artes con-
„ſervat, humiles honoratis, hono-
„ratos humilibus jungit, omnibus
„membris debitum locum, confor-
„mem gradum, & condignum mu-
„nus tribuit, ut totius reipublicæ
„corpus non ſolùm pulcherrimum,
„ſed etiam utiliſſimum evadat. 5.
„Nec tantùm rebus publicis deco-
„rem, ſed etiam perſonis privatis
„gratiam confert. Lux eſt, memo-
„riam illuſtrat, & præteritis dat præ-
„ſentiam; fax eſt, intellectum illu-
„minat, & præſentibus dat intelli-
„gentiam; ſol eſt, & rationem du-
„cit, & unum ex altero educit. Pro-
„videntia eſt, media fini procurat,
„finem mediis præfigit. Magiſtra
„eſt præclariſſima, diſcipulis diſcen-
„di, magiſtris regulas tradit docen-
„di.

349. *verum omnium: cœli terræ aquæ hominis temporis loci fabricæ*

8. Ex his vides Eusebi omnia, quæ oculos, aut aures vel in se, vel in aliqua imagine, aut privationis similitudine incurrere solent, describi posse. Si cœlum describis, Uranographia; si terram, Geographia; si aquas, Hydrographia; si hominem, Prosographia; si tempus, Chronographia; si certum locum, uti hortum, topographia; si denique fabricam, aulam &c. Ichnographia dicitur.

Virtutum, &

Vitiorum

Vides etiam quandam rationem describendi virtutes quasvis, aut vitia. Hæc, & illæ sunt exhibendæ in forma spectabili; illæ in Angeli, Virginis, Reginæ, heroinæ, aut alia, quæ oculos rapere possit, pingendæ sunt imagine. Vitia econtra exprimas habitu monstri, dæmonis &c. Aliis rebus, uti matrimonio, cœlibatui, statui Religioso, Ecclesiæ colores repetendi sunt ab aliquo effectu, velut supra de

Privationũ

vere diximus. Præterea animus reflectendus est ad leges Symbolices, ac Rhetorices mutæ: de quibus plura n. 525. Hæc eadem extende

sis

ſis ad rerum privationes, qualis eſt mors, nox, tenebræ &c.

9. Pro omnibus tamen notandum eſt, ſtylum debere ſubjectæ materiæ gnaviter reſpondere. Unde ſi triſtia deſcribenda ſunt, aut læta, horridáve, ipſe ſtylus triſtitiam, lætitiámque, & horrorem ſpiret, & ſit pro rei varietate conciſus, figuris variis diſtinctus, nunc brevior, nunc prolixior. Nec ſolùm ſtylus, ſed & ſtyli ordo variandus eſt. In Proſographia inchoandum eſt à capite ad reliqua ordine membra, usque ad pedes. In Topographia prius deſcribe majora, & ſpectabiliora, dein deſcende ad eorum partes. In his, & cæteris omnibus optima magiſtra judicium, & ipſa rei, quam deſcribis, materia; cavendum porro, ne minima quæque inſectemur, ſed ſolùm illuſtriora.

ſtylo conformi.

ordinato, &

brevi.

10. Cæterùm dominatur hæc figura in maximis affectibus, uti amoris, odii, commiſerationis &c. Quis non amet Docilitatem Hypotypoſeos coloribus adumbratam?

35°. dom[illegible] in [illegible]

„Hæc eſt illa ingeniorum artifex, „& ingenuarum artium nutrix illu-

„ſtriſſima, hæc gymnaſia diſcipulis „replet. Specta mihi magnam hîc „diſcentium multitudinem. En ut „omnes ab ore magiſtri pendeant! „ac quæcunque audiunt, conferant; „quæ conferunt, annotent; quæ an„notant, in uſum deducant. Con„tuere mihi in ſingulis ſcholis hujus „præclaræ magiſtræ merita! In hac „format Jurisprudentiæ legibus ſuos „reipublicæ rectores, in iſta Rheto„rices ſancitis ſuos Eccleſiæ divini „verbi præcones, in illa Philoſophiæ „argumentis ſuos humanæ ſocietati „naturæ ſcrutatores. Quid Docili„tatis ſtudia memorem in Acade„miis? & omnium ſcientiarum em„poriis? Primas ubique tenet Do„cilitas. Sine ipſa ægreſcit Hipo„cratis Medica, ſine ipſa nullo in „numero eſt Arithmetica, ſine ipſa „Matheſis abjecta jacet humi. Lon„gus ſim, ſi omnia perſequi velim. „Sola mihi ejus in Eccleſiam meri„ta contemplare. Intra paucos an„nos Theologiâ, quam vocant, Scho„laſticâ ſumã fidei noſtræ Sacramenta „recludit, Poſitivâ Scripturæ myſteria „pandit, Myſticâ mores format cœlis, „& cœlitũ amore dignos, Polemicâ
he-

„heroës educat,& contra quosq; fidei „orthodoxæ hæreses, idololatriæve „hostes armat,& in aciem educit. Nul„lam ætatem aversatur Docilitas: „pueritiam ad discendum aptat, ju„ventutem litteris excolit, vi„ros audiendis, senes dandis con„siliis accomodat. Nullam respuit „conditionem: principem erudit, ut „regere, subditum, ut regi possit: „patrem componit, ut educare, fili„um, ut educari possit: magistrum „dirigit, ut docere, discipulum, ut „doceri possit. Locum nullum refu„git; in humili casa laboribus, in cu„riâ consiliis, in militiâ pugnis sui „cultores insuescit; solos refugit per„vicaces, solam respuit pertinaciam, „& voluntatē regi nesciam aversatur.

II. *Eusebius.* Sed quibusnam ex Locis eruitur apta ad Hypotyposin materia? *Eubulus.* Fere semper 1. ex definitionibus conglobatis, aut 2. Effectis cumulatis, aut 3. Adjunctis rerum vel 4. ex comparatione. Exempla ex dictis habes; clariora tamen dabit Discretio virtutum omnium moderatrix. 351,

amante Definitiones effecta Adjuncta & Comparationes conglobatas.

„1. Docilitatis soror est Discretio, „filia Prudentiæ natu maxima, gloria

 hu-

„humani generis, & mentium guber-„natrix. 2 Finem præfigit actionibus „præclarũ, media fini eligit aptiſſima, „vires nec atterit laboribus, nec otiô „diſſolvit. Quid illuſtrius, cùm men-„ti leges dictat? ſpiritum ad ſuperna di-„rigit? bona à malis diſcernit? bonis „meliora eligit? 3. Vide quàm ſuaviter „laboret! quàm utiliter vacet! vigili-„as imperat, jejunia præcipit, ſtudia „exigit, ſed omnia ſuo modo, ſuo fine „omnia. Tempora diſtinguit quieti, & „labori. Horas definit tacendi, & lo-„quendi, nullam cogitationem ſinit „extra judicii, & ſanæ rationis ſemitam „vagari. 4. Quantum reſpublica con-„ſuli, aut regnum ſapientiſſimo „Regi debet, tantũ ferme debet quiſ-„que Diſcretioni. Præteritæ hiſtori-„am ætatis retrogradâ memoriâ ſi re-„petere poſſes, videres innumeros in „procelloſum calamitatis mare con-„jectos, ſed quos in quietis portum ex-„poſuit Diſcretio. Videres ſacram, „profanámque litteraturam commu-„ni fere involutam exitiô, ſed quam „in priſtinum gradum reſtituit Di-„ſcretio. Videres integra regna diſcor-„diæ flam̃is ardere, ſed quas extinxit „Diſcre-

„Discretio. Hæc est pigris calcar, „effusis frænum, omnibus regula vi„vendi.

12. Pulcherrima est Hypotyposis, si 1. personarum gestus, vel 2. colloquia ob oculos ponimus, uti si trepidantium fugam, & metu accisa interrogantium verba exhiberes. His affinis est 3. illa, quâ præterita per conglobata Plusquàm perfecta, quasi nunc gererentur, describimus. Lumen singulis affundet Solicitudo. *352, gestuum colloquiorũ, & præteritorum*

„1. Quid de Solicitudine dicamus „individuâ Discretionis comite? E„jus formam in sanctissimo Puero Be„nedicto velut speculo contemple„mur. Ecce tibi, quantam mentis „promptitudinem in ipso incessu de„monstret! exhibeat in ipsa facie! „Nunc sedet, nunc flectit, nunc legit „nunc studet, ac ut paucis complec„tar omnia, quæcumque ex Pruden„tiæ regulis cognoscit ad Dei apta ob„sequium, ad proprium idonea pro„fectum, ad proximi congrua exem„plum, mira hilaritate aggreditur, „& conficit dexteritate. 2. Si hæret „in agendo, majorum non minus li„bens exquirit, quàm exequitur con-

„silia

„ſilia. En quanta prudenti âi nterro-„get! & quanta modeſtiâ recipiat reſ-„ponſa! Sciſcitaris, quæ cauſa tantæ „ſolicitudinis? Si animi demiſſio non „vetaret, diceret; id poſcit ſalus mea, „urget temporis brevitas, poſtulat cha-„ritas. Virtuti naſcimur omnes, cur „vitam non conſecrem totam operi-„bus virtutis? 3. O ſi affuiſſes in Ro-„mano illo palatio, in illo Sancti Pue-„ri muſæo! quoties vidiſſes coram par-„thenia divinæ Matris imagine flectẽ-„tem! oculos in crucifixum detor-„quentem! quoties audiiſſes in cœlum „ſuſpirantem! & depravatos Roma-„næ juventutis mores deplorantem!

358. *ficti temporis, &*

13. Tandem etiam deſcribere poſſumus tempus 1. quod nondum eſt, & 2. locum, qui nunquam eſt, ſed utrumque fingimus tanquam præſens, & oculis ſubjectum; eaque ratio ad ciendos motus eſt perquam vehemẽs. Materiam præbent fere Effecta, ſigna, prodromi rerum, Antecedentia, & Conſequentia. Egregiam imaginem præbet virtus *circumſpectionis.*

„1. Sed ſinamus Benedictum ſua „cum Solicitudine ſolùm ab arbitris a-„gere, nos animum ad ejus gemellam „circumſpectionem vertamus. Dici

nequit,

„nequit, quàm oculata ſit hæc vir-
„tus: mentem non ſolùm ad opus, ſed
„etiam ad ſingulas operis circumſtan-
„tias reflectit. Si oculis non poteſtis,
„animis cernite illius cœtûs felicita-
„tem, in quo ipſa arbitra rerum con-
„ſtituta fuerit. Jam modò videor mi-
„hi videre immenſam morum pul-
„chritudinem; jam modò mihi ob
„oculos verſatur illa mirabilis cura,
„ut opus quodvis ſuo tempore inchoe-
„tur, debito fervore obeatur, æqua
„perfectione abſolvatur. Non vides
„illam in ſuperandis arduis conſtan-
„tiam? illam in prævidendis periculis
„ſolertiam? illam in omni loco cau-
„telam? Torpor nullus in operando,
„vitium nullum in deproperando. Si
„dæmon faſtu tentet, ſtudio demiſſio-
„nis; ſi cupiditas delitiis blandiatur,
„fræno mortificationis; ſi ipſa naturæ
„humanæ fragilitas inceſſat mentem,
„fervore fidei reprimitur, ſubigitur,
„& ſuperatur. 2. Vis, te ducam in *loci.*
„ædes hujus cœleſtis Virginis? Val-
„lô ſunt undique circumdatæ, plenæ
„feneſtris, ſoli virtuti patent, vitiis
„perpetuò recluſæ. Templum con-
„tiguum habent, & hortum, in varias
„diſtin-

„diſtinctæ officinas imaginem inſignis „monaſterioli graphicè ob oculos po- „nunt. In templo Religio divinas „laudes diu, noctúque canit, in hor- „to Labor opus exercet, in officinis „Induſtria varium munus obit, in tri- „clinio temperantiæ leges docet Abſ- „tinẽtia. Quocunq; oculos convertas, „vides aliquid, quod quampiam cœ- „li præbeat formam, obſtupeſcas, & „imiteris.

354. *Ethopœja*

II. *Eubulus.* Hauſtâ Hypotipoſis notitiâ facilis explicatu, quæ ipſi maximè affinis eſt, redditur Ethopœja. *Euſebius.* Quid ergo eſt? *Eubulus.* Graphica morum cuidam perſonæ occommodata imitatio. *Euſebius.* Quomodo fit? *Eubulus.* Si fingimus ea omnia, quæ viſa fuerint neceſſaria, ut perſonam quandam præſentem ſiſtamus. Cùm itaque perſona alia ſit ficta, alia vera, alia vivens, alia defuncta; ac quævis harum perſonarum vel moribus, vel verbis induci poſſit, variam quoque neceſſe eſt aſtruere ſpeciem Ethopœjæ. 1. Si veram, notámque perſonam inducimus, atque adeo perſonam non fingimus; ſed ſolùm ejus verba, & mo-

res,

res, acsi præsens esset, exhibemus, absolutè Ethopœia dicitur. Exemplum daret, qui Germanis ad persuadendum majorem justitiæ cultum sic loquentem S. P. N. Clementem XI. induceret.

"Diutius libéret Prudentiæ laudi- „dibus inhærere, sed abripior excel- „lentiâ Justitiæ. Hæc est illa præs- „tantissima virtus, quæ humanam „componit societatem; quæ à mu- „tuis injuriis homines avertit, civita- „tes erigit, respublicas custodit, reg- „na munit, mundum universum in „pace conservat. Et tamen ii, apud „quos olim orbis totius testimoniô „Germana fides habitabat, tam gran- „de suæ nationis ornamentum ne- „glectum habent! Quid Sanctissimus „orbis Christiani Monarcha Clemens „XI. diceret, si coràm aspiceret illam „contra leges, Patrumque sancita li- „bertatem agendi! si videret sacras „diras ceu muta fulmina contemni! „si videret officia publica non bene „meritis, sed bene nummatis confer- „ri! Quid diceret iis, quibus in curia „nulla legum cura? quibus omnis „judicij forma vel in ære, vel favo-

„ro

„re repoſita eſt ? quibus leges non „ſolvendis, ſed ſerendis litibus ſervire „debent ? Non auditis bene monen-„tem ? Malè ominor inquit peſſimè „afflictæ Germaniæ. Non meminiſ-„tis ætatis præteritæ ? Quando ſana „fides pulſa ? quando florem civita-„tum veſtrarum hæreſis avulſit? quan-„do ejectis in exilium litteris, & lit-„teratis irrupit impietas, regere cœ-„pit inſcitia ? quando omnia ſusque, „déque verſa, ſacra, & profana con-„temerata ? An non miſeris illis an-„nis, quibus juſtitiæ cultus neglec-„tus jacebat ? Solent nempe ſinente „vindice ſcelerum Deo (omnium „ætatum experientiam teſtor) in in-„extricabiles turpiſſimorum errorum „labyrinthos facillimè deduci, qui à „Juſtitiæ ſemitis tam impiè deflec-„tunt.

355 Idolopœja

2. Si autem inducis perſonam, veram quidem, ſed jam vitâ func-tam, diceris conficere Idolopœjam, ut ſi defunctos parentes, angelos, cœlites, aut Deum ipſum loquen-tem facias. Normam à noſtris ma-joribus cape virtutem Religionis ſuadentibus.

Quis

„Quis autem his paternis monitis „non moveatur? Absit, ut unquam „ab avita majorum fide desciscamus. „Reddemus omni studio homini per „Justitiam æquum, Deo per Reli„gionem cultum. Insistemus Pa„trum vestigiis; non bonorum pe„riturorum duntaxat, sed etiam vir„tutum hæredes erimus. O si sci„res, quàm igneo peroptent affec„tu, quàm fervidis perurgeant apud „Deum precibus nostra virtutis stu„dia, quanto amore responderes af„fectui, precibus quanto conatu; „Audi quid tibi de cœlis inclament. „Primas vestrarum filii cura sit, ut „Deo rerum omnium Creatori, ac „Domino debitum cultum, & ho„norem exhibeatis. Attendite di„vinam Majestatem: hæc quantæ „est excellentiæ! vestram conditio„nem: hæc quantæ est vilitatis! „Dominus ille supremus, vos ser„vi extremi. Ut huic tuo Domino „servias, natus es; ne alteri servias, „jussus es. Finis, ob quem vivis, „præceptum, ad quod vivere debes, „urgent, ut soli Deo servias. Et „cur nolis? qui Deo servit, Rex est: „in servitii præmium conceditur reg-

„num, labori breviſſimo quies pro-
„mittitur æterna. Væ illis, qui ſer-
„vire nolent! jugum æterna ſervi-
„tutis trahent in infernô. Sed mit-
„tamus rebellium ſupplicia, & pro-
„borum præmia taceamus; ac ſola
„vos Religionis præſtantia moveat.
„Hæc eſt illa virtus, quæ à Fide,
„Spe, & Charitate primam ſedem
„tenet; hæc eſt illa divina magi-
„ſtra, quæ docet in templis ſacros
„ritus, debitam ſacerdotio reveren-
„tiam, & SS. Exuviarum cultum;
„hæc docet aras exornare Divorum
„ſtatuis, parietes pingere ſacris ima-
„ginibus, ac templa ipſa ædificare.

556. *Proſopopœja*

3. Porro ſi non ſolùm vocem, ac mores, ſed & ipſam perſonam fingimus, conſtruimus Proſopopœjam. Talis eſt, ſi virtutes, vitia, patriam, civitates, famam, ignominiam, peſtem, bellum, quaſi perſonæ eſſent, loquentes inducimus. Formam habes in Virtute Pœnitentiæ.

„Saluberrima hæc Patrum monita
„quisquis admiſeris, & conſtanter
„Religionis ſtudia ſectatus fueris,
„ſcelus omne magìs, quàm infernum
„reformidabis. Si verò gravibus con-
ſpurca-

„ſpurcatam noxis conſcientiam cir-
„cumfers, audi Pœnitentiæ conſilia.
„Ego te inquit docebo peccata deteſ-
„tari, & exipare. Infinitam Dei offen-
„diſti majeſtatem; & tu ille offendiſti,
„qui te ad divinam gloriam propagan-
„dam religione ſacramenti obſtrin-
„xiſti; divina ipſa dona in Dei contu-
„meliam traxiſti. In eo hæres miſer ar-
„ticulo, ut, niſi mea admiſeris monita,
„è miſeriis tuis emergere non poſſis.
„Hoſtis irati Dei es: ſed ego placabo; xe-
„torris toto cœlo es: ſed ego reſerabo;
„dæmonis mancipium es; ſed ego libe-
„rabo. I, ad ſacri myſtæ pedes abjectus
„tua ſcelera pande, eſto, multitudine
„ſuperent omnes arithmetices termi-
„nos, enormitate omnes rationis, & hu-
„manitatis fines, peccãdi conſuetudine
„omnes vitæ tuæ annos; meritis tamen
„ego, & Sanguine Servatoris tui om-
„nẽ hanc ſcelerũ colluviẽ repurgabo,
„cœleſti te divinæ gratiæ cyclade de-
„corabo, ac priſtinum æternæ beatitu-
„dinis jus lethalibus noxis extinctum
„ſuſcitabo. Quid, quòd ſi me audis, ob
„Dei ſolius infinitam bonitatẽ præte-
„ritæ vitæ tuæ noxas deteſtare, & in
„momẽto dæmõis mãcipatũ diſſolviſti;

4. „Hæc

357. *repetenda ex personis*

4. Hæc eſt fermè mi Euſebi trinæ Ethopœiæ forma ; nunc, quæ cujusque materiam reſpiciunt, ſunt monenda. *Euſ.* Prome mentem. *Eubulus.* Præprimis cura , ut talia verba, ſententias , & eruditiones in hujus figuræ uſu producas, quales perſonarum , locorum , temporumque ratio exigere videbitur. Hinc alia verba tribuas Regi , alia plebeio , alia viro erudito. Illius dicta majeſtatem , hujus utilitatem , iſtius doctrinam ſapiant. Animus quoque reflectendus eſt ad perſonarum officia , & ingenia ; ſic loquetur judex de legibus, de gregibus paſtor ; medicus de vulnere, de artefactis artifex. Alia proin verba tribuenda ſunt fervidæ indolis juveni , alia ſeni tetrico. Si loquelam donamus rebus inanimatis , uti civitatibus ; aut animatis , ratione tamen carentibus , uti leoni ; aut moralibus, uti virtutibus , aut vitiis , aut annis , veri , æternitati &c. reluceant in Ethopoeiâ civitatis civium mores, ſenſus &c. in animalîs , genius naturæ , ut in aſini pigritia , in leonis majeſtas ; in moralibus Effecta , Symbola &c. quibus exhiberi ſolent,

lent, demonſtrentur. Moderaberis quoque verba juxta loci, & temporis qualitatem. Si ille horridus, hoc breve eſt, horror, & brevitas in verbis ſpiret.

5. Ut paretur apta huic figuræ materia, attendenda eſt ſeries operum, ac ſingula, quibus evenerunt, tempora percurrenda ſunt. Noctem dices vigiliis, diem laboribus, actum &c. Præ cæteris autem temporis latè ſumpti habenda eſt ratio, ita ut incipias 1. à præſenti, recurras 2. ad præteritum, & 3. tranſeas ad futurum. Exemplum det Pietas de malè moratis liberis conquerens. 858. *temporibus*

"Audivimus hactenus monita Pœ-"nitentiæ, audiamus nunc quere-"las Pietatis. 1. Miſerrima tempora! "exclamat, contemnor ubique. Me-"um eſt movere cives, ut patriæ of-"ficium; flectere liberos, ut "parentibus cultum; componere "fratres, ut cognatis affectum im-"pendant, & non ædibus tantùm, ſed "integris prope urbibus excludor. "Admittitur impietas, dominatur li-"bido, & cum parvulis ſcelus omne

„adolescit. Et ad hæc tacent paren-„tes, connivet senatus; & sæpe hic „audaciæ facem, & illi exemplum præ-„ferunt impietati. 2. Olim latè do-„minabar. Infantibus eram obste-„trix, puellulis nutrix, pueris magi-„stra, juvenibus moderatrix. Cùm „explicarem leges meas, ingererem „monita mea, persuasi facillimè pa-„rentibus in liberos curam, & liberis „in parentes observantiam. Cùm „adhuc viveretur legibus meis, nulla „personabant domi jurgia, aut foris „scurræ audiebantur. 3. Nunc quid „sorti meæ relictum est, nisi majorum „metus malorum? Quales erunt hi „parentes, qui in nullo parére didi-„cerunt? Anne hi regent rempubli-„cam, qui nec à parentibus regi po-„terant? an docebunt litteras, qui „nihil unquam didicerunt? an defen-„dent patriam, qui omnia in sua com-„moda, & voluptates detorquent? „Malè potius ego timeo patriæ, pejùs „parentibus, pessimè liberis; non fe-„ret Deus hos mores, sed eos, qui ma-„jorum nolebant subdi imperiis, ma-„ximis suppliciis castigabit.

359. passionibus 6. Tertium, & potissimum, quod in materia hujus figuræ consideres, est pas-

paſſio ; ſeu motus animi. Ex paſſione namque non ſolùm quæ dicas, ſed etiam modus, quo dicas, depromenda ſunt; hoc eſt ea argumenta eruenda ſunt, illæ figuræ in ſubſidium accerſendæ, quas juxta dicta à n. 254. ad n. 268. animi motus exegerit. Vis e. g. triſtis patriæ Proſopopœjam conſtruere? adi n. 262. ac ibi ex num. 2. deprome magnitudinem malorum, quibus premitur, vilitatemque mala inducentium, quorum injurias perpetitur; tum ſinito patriam ſingula exaggerare. Ut autem materia apta ſit excitandæ triſtitiæ, jube patriam ex num. 3. erumpere in querelas; defixo in magnitudinem malorum obtutu ſilere; mala per hypotypoſin efferre &c. Dicta clariùs patebunt, ſi virtutem obſervantiæ ex regulis Spei n. 265. Pietati audiamus reſpondere.

„ Doleo vices tuas Chariſſima ſoror, „metumque tuum, meum facio. At„tamen non omnis inſtaurandæ ju„ventutis depoſita Spes eſt. Ego no„minis mei menſuram implere in„fractô ſtudiô conabor. Deprædica„bo ubique bona tua, exempla pie-

„tatis ab omnibus retrò repetita faſ-
„tis producam, minas miſcebo pro-
„miſſis, illiciis traham, metu com-
„pellam, ut juxta leges meas iis,
„quos aut ætas, aut dignitas, ſa-
„pientia, aut virtus dignos eximiâ
„obſervantiâ fecerat, ubique debi-
„tus honor, rependatur. Tunc ti-
„bi patebunt portæ in privatorum,
„& nobilium ædes, ut liberos pa-
„rentibus, parentes patriæ, patriam
„felicitati in priſtino cultu reponas.
„Noſti porro, quanta mihi, tibiq;
„conficiundis negotiis iſtis ſint præ-
„ſidia? Tu vitam longævam in
„mundo, ego æternam in cœlo
„promittere poſſum; tibi non ho-
„minum duntaxat, ſed & bruto-
„rum exempla, mihi omnium æta-
„tum hiſtoria ſerviunt; tu noſti pue-
„ritiam virgis, ego juventutem pro-
„bris ſcio terrere. E cœlo hauſiſti
„educandi, ego educatos conſer-
„vandi ſcientiam. Quanta præte-
„rea ſpes nobis repoſita eſt in gra-
„tia Dei? Hâc quoties tygrides in
„agnos convertimus? An non per-
„ſuadebimus, ſi dixerimus liberis
„Cœleſtem illum Patrem in ſuo pa-
„tre

„tre & contemni, & honorari ? Ce-
„rea eſt juventus : formam quamli-
„bet facilè recipit , & quod ſpem
„meam maximè alit , huic ceræ in-
„diti ſunt à naturâ igniculi filialis a-
„moris ; nos ſi Favonios Spiritûs
„Sancti afflamus , flammas feliciter
„excitabimus , quibus quarumlibet
„ætatum vitia faciliter excoquamus.
„Et ex his ignibus auream ætatem
„gloriosè producemus.

7. Ad Proſopopœjam reducitur Dialogus , ſeu ficta perſonarum collocutio. Affinis etiam eſt Occupationi (de qua n. 336) & ſæpe non ſine ornatu in ipſam tranſit. Movet hæc figura , & delectat , ejúsque uſus eſt frequentiſſimus in gravi materia. Nonnunquam propria alterius perſonæ verba recitantur hâc, vel ſimili formâ. Quid tu ſentis S. Gregori de hac re ? Subdis dein ejus verba , quibus prolatis vel gratias agis pro datâ ſententia , vel eandem laudas. Si plurium ſymbola convehere velles , hoc , vel ſimili modo utéris. Etiam tu Damiane manum porrigito &c. Subſidium ferto tu Anſelme. Et dein per Præteritionem theſin tuam multùm ex- 360. *Dialogi*

porriges hoc modô. Quantum causæ meæ firmamentum accederet, si tuam Ildephonse, tuam Ruperte &c. sententiam exquirerem. Sed cùm malitis silentiô, quàm linquâ testimonium ferre, cùm æterna Veritas Christus loquitur; omnes jam divina ejus verba auscultemus. Ex his vides, quàm egregiam methodum præbeat hæc figura graviter proponendi quæcunque testimonia. Vide, quæ tibi diximus n. 253. & de dicendis exemplum cape ab Obedientiâ.

„O felicem patriam nostram, si „Pietati, & Observantiæ studia quoq; „sua conferat Obedientia! Hæc sola „sufficit exscindendis vitiis, & mo„ribus omnium instaurandis. Quid „ita? radicem omnis impietatis vo„luntatem propriam funditus evel„lit. At hæc pertinaciter humanæ „naturæ inhæret: fortior tamen est „obedientia. Causaris effusam pro„ferendæ libertatis libidinem? hanc „illa præceptis constringit. Arduum „est subesse: sed Deo gloriosum. „Regnare cupimus omnes. At nun„quid tibi securiùs est regi? Quid tibi „prodest, si præsis aliis, & tibi obsis?

„Sæpe

„*Sæpe* mihi, ais imperantur, quæ „diſplicent, aut etiam torquent. Quid „quæris tibi placita, qui ſoli Deo pla- „cere quæras? Audi, quid ſol cum „ſiderum choro, quid in aquis piſ- „ces, in campis bruta; in aëre lo- „quantur aves, quod omnes creatu- „ræ vociferentur: nos inquiunt à di- „vinis imperiis nec hilo diſcedimus. „Sed fors non intelligis hos mutos „oratores? Ergo proborum facta con- „tuere & audi verba. Majores vo- „cant? ocyùs advolant; pares jubent? „illico parent; infimi innuunt? con- „feſtim adſunt. Placent hi mores? „Præprimis: ſed ſi vita placet, cur „diſpliceat imitatio? Hæc admittit li- „bertatem: an utique meliùs eſt, bene, „quàm liberè vivere? Et quid? jam „non tibi hoc liberum eſt. Si liberè „vivis, perdes libertatem, & miſerè „morieris. Scis, quos æterna mane- „at captivitas? quos vana capit liber- „tas. Ars, inquis, eſt obedientia cap- „tu difficillima. At Magiſtrum habes „Chriſtum; ſchola clauſtra ſunt, & „orbis univerſus. Obiiciunt multi „labores. Sed hi an plus mente,

„vel

„vel capite laborent? vix diſpicias.
„Quis magna parvis impendiis quæ-
„rit? Pigerrimus eſt, qui victoriam ſi-
„ne pugnâ velit: pigerrimus, ſimul at-
„que inſipientiſſimus, qui obedien-
„tiam ſine labore. Si cœlum ſuſpi-
„cio illud obedientium præmium, cur
„nolim cum obedientibus laborare?
„pati? mori?

361. *Apoſtrophe*

III. *Eubulus.* Ethopœjam æmulatur Apoſtrophe, ac ferme ab illa mutuat materiam. Velut enim illâ Deum, hominem, quin etiam res inanimatas loquentes inducimus 1. ita hac Deum, hominem, & res quaspiam compellamus. Ineſt utrique ingens vis, ſi in debito loco frequententur; & orationi velut vitam, ſi aliqua vehemens paſſio cienda eſt, conferunt. *Euſebius.* Quomodo ergo conſtruam Apoſtrophen. *Eubulus.* Sermonem averte à rebus, aut perſonis, de quibus inſtituiſti, & alloquere pro materiæ, aut affectûs varietate vel locum, in quo res contigit; vel abſentem hominem, qui vidit; vel Deum, angelum, vel Cælitem, qui juſſit, approbavit, &c. Velis e. g. horrorem peccati exaggerare,

rare, alloqueris ſidera, prata &c. ac dices. Vos ſidera quoties ſceleſtos in omne nefas ruentes vidiſtis? vos prata cur in ipſo ſcelere deprehenſos diductis faucibus veſtris non abſorbuiſtis? Didicimus hanc figuram è S. Scriptura. Quid acrius ad confuſionem dici poteſt, quàm illud Dei apud Iſ. 1. 2. *Audite cæli, & auribus percipe terra &c. filios enutrivi, & exaltavi; ipſi autem ſpreverunt me.* Quid vehementius ad indignationem afferas, quàm illud Dei apud Jerem. 2. 12. *Obſtupeſcite cæli.* Quid gravius ad terrorem producas, quàm illud damnatorum apud Luc. 23. 30. *Tunc incipient dicere montibus: cadite ſuper nos; collibus: operite nos.* Quid ſuavius ad laudem dicas, quàm illud trium Puerorum apud Dan. 3. 62. *Benedicite ſol, & luna Domino.*

2. *Euſebius.* Placent iſta. Sed ne nimio uſu hujus figuræ diſpliceam, quas leges tradis? *Eubulus.* Nullas, niſi quas lectio, praxis, & ratio docet, fateor tamen Apoſtrophen maximè dominari in vehementibus paſſionibus, ejuſque vim magnam eſſe ad

frequentiſſima in Scriptura

ad concitandam commiſerationem, cùm enumeratis ærumnis compellamus vincula, tyrannum, carceres &c. ad concitandum odium, cùm recenſitis ſceleribus, locum, ſocios, armáve ſcelerum alloquimur; ad concitandum amorem, cùm rectè factorum teſtes affamur; ad incitandam ſpem, cùm Superûm, hominúmve parata præſidia commemoramus.

362 *ampliſſima in materiâ ad* 3. *Euſebius.* Sed quæ eſt hujus figuræ materia? *Eubulus.* omnia omnium locorum ferme argumenta. Omnia námque, quæ alius ſine motu Apoſtrophes produceret, tu poteris ejusdem alterutro ex tribus recenſitis modis elevare. Periculum tibi facio in rebus ſenſu carentibus, (quo nomine veniunt virtutes, vitia, bruta, elementa, montes, ſaxa &c.) virtute Gratitudinis.

inanimata & animata „Huic ſiderum dicam, an virtutum? choro jure merito inſeritur „Gratitudo. O quanta in una hac „virtute ſe produnt illicia! ad eam „trahit, urget, compellit tota re„rum machina. Vos bruta, & feri „ſylvarum incolæ quoties mirandis

fac-

,,factis hanc virtutem docuiſtis. Vos
,,agri veſtram incultis hominibus
,,gratitudinem in exemplum propo-
,,nite: vix ſemina accipitis, redditis
,,beneficia, & è viſceribus veſtris
,,cenſum pietatis depromitis! Vos du-
,,ra ſaxa, & rigidæ rupes an non
,,molleſcitis horrido humanæ ingra-
,,titudinis ſpectaculo? totus quantus
,,eſt homo, ex divinis beneficiis com-
,,pactus eſt, & tamen obliviſcitur
,,Dei ſui, & gratiam convertit in
,,contumeliam. Abominandum ne-
,,fas, & maledictum cauteriatæ men-
,,tis ſtigma eſt ingratitudo, & ta-
,,men fædiſſimâ hâc notâ ſignati ho-
,,mines, Superûm oculos ſubire non
,,verentur. O Gratitudo, quàm
,,pauci ſunt, qui tuas opes amant,
,,& ſtudia ſectantur! O ſi noſſet or-
,,bis artes tuas! doceres beneficia ac-
,,cepta cognoſcere, laudare, datâ
,,facultate remunerari; parares ani-
,,mos ad magna, ad majora amplia-
,,res, ad maxima dona adorna-
,,res. 363.

4. Exemplum ſecundæ ſpeciei, *humana*
ad quam ſpectant omnes omnium
con-

conditionum perſonæ , præbebit Veritas. Quoad illas tamen magnopere cavendum, ne præſenti cauſæ prorſus extraneas compellemus. Malè proin apoſtropharet , qui in cauſa ſacra alloqueretur milites , aut in re litteraria ſutores: ſed ſeligenda eſt ea hominum ratio, cui per Ethopœjam loquela tribui poteſt. Dictis lux accedet ex dicendis.

„Ingens quidem humanæ vitæ „ornamentum eſt Gratitudo; ſed certè par, ſi non majus eſt Veritas. „Teſtes vos ego compello orbis monarchæ. Quid foret aula veſtra ſine veritate, niſi aſſentatorum nefaſta ſchola! Quid non veritati debetis vos Sacrorum antiſtites? ab „hac accepiſtis veterum monumenta, ætatum hiſtorias, vivendi documenta. Dicite vos Theologi , „quanta Chriſtianum deceat pro veritate facere , & pati. Hæc eſt „illud grande præconium , quod ſibi T. O.M. Deus ex milleris elegit, & ſe Deum *Veritatis* vocari „juſſit. Etiam vos ego compello „ruſtici, & cives, artifices, & milites,

„tes, nobiles, & plebei. An ſta-
„bunt ſine veritate cœtus veſtri, tribus
„veſtræ, & ordines veſtri? Non ſta-
„bunt: diſſipabuntut turbis, diſſol-
„ventur fraudibus, mendaciis deſtru-
„entur. Tu quisquis es, excellas, per
„me licet, doctrinæ, rerumque geſ-
„tarum gloriâ, ſi mendacii potes con-
„vinci, non ſolùm magnorum viro-
„rum diptychis expungi, ſed velut in-
„famis humano convictu expelli me-
„reris. Omnes ego ingenuæ mentis
„mortales conteſtor, quoties maluiſ-
„tis vitæ jacturam, quàm mendacii
„calumniam incurrere? Adeo nempe
„veritas inſita eſt homini, ut eum de-
„poſitâ humanitatis gloriâ in bruti fe-
„ritatem degeneraſſe dicamus, qui
„ſceleſtos dentes in tam egregiam
„virtutem infigere non veretur.

5. Tertiam tandem Apoſtrophes ſpeciem fideliter nobis exhihebit Fidelitas. In illa autem comprehenduntur Superi omnes, Angeli, Cœlites, Deus ipſe, & divina ejus Attributa. Huc ſpectare videntur omnes Virtutes, ſi eas tanquam veras perſonas alloquimur, ſcientiæ, & artes. 364. divina

„Sed quid jam dicamus de illa „Sanctissimæ matris Justitiæ non minus sancta filia fidelitate? Boni Cœlites! ah quàm miseri essemus, si „hæc divina proles è finibus nostris „emigraret! Hæc servat in promissis fidem, dissolvit debita, promovet commercia, humanam societatem jucundam reddit, & quietam. Et tu magne Deus quanta „nobis hujus virtutis exempla præbes. Promisisti animam: exhalâsti in cruce. Promisisti tuum divinissimam Carnem, & Sanquinem: „hoc potas, illâ pascis Ecclesiam „tuam. Promisisti cunctis gratiam, „benemeritis gloriam: illam nemini negas, hanc quàm multis impertiris! O boni Angeli! compellite „nos, ut tam fideli Deo fidem in „Baptismate datam, in Religione „juratam, in S. Regula sancitam integerrimè servemus. O boni Cœlites malumus potius mori, quàm „perfidè vivere: nostris, quam ore „professi sumus, fidem vestram moribus imprimite. Agite, ne simus „in promissis faciendis leves, nec in „factis tardi. Tota spes nostra, ut „scitis, nititur fidelitate Dei: curate, „ne,

„ne, dum ad ſpei metam currimus, „unquam infidelitate prolabamur.

364 *Ironia*

IV. *Eubulus.* Varium, & magnum Rhetorices ornamentum eſt Ironia, eáque Rhetor non ſolùm aliud verbis, aliud mente, ſed & contrarium iis verbis, ex quibus conflatur, ſignificat. Si uno verbo fit, dicitur Antiphraſis, ut ſi duos inimicos Caſtorem, & Pollucem dicas. Et tunc ab aliquibus reducitur ad tropos, ab aliis ad figuras verborum. Vide, quæ n. 310. diximus num. 9. Si verò pluribus verbis animata per integras ſententias dominetur, hujus loci eſt, & maximè ſervit ad delectandum. *Euſebius.* Quomodo autem mens verbis contraria cognoſcitur? *Eubulus.* Vel pronuntiatione, vel perſona, vel rei naturâ. *Euſebius.* Quomodo pronuntiatione? *Eubulus.* Si orator in perorando ridet, manibus plodit, illudit, alióve geſtu oſtendit mentem verbis contrariam. *Euſeb.* Quomodo perſonâ? *Eubulus.* Si orator eam verbis nunc lepidè laudat, quam antea vituperaverat, aut quam communis exiſtimatio infamem habet. Quis námque Ironiam non adver-

advertit, si cujusdam Poëtastri poëmata traducturus eum nunc vocites Virgilium, nunc compares Ovidio? ***Eusebius.*** Quomodo rei naturâ? ***Eubulus.*** Si rem e. g. virtutem, manifestè pulchram, dicas fœdam; aut vitium, pulchrum; aut scientiam, ignaviam &c. ut hac ratione impii scelera, idiotæ cujusdam inscitiam acriori lixiviô perfundas.

ampla ad materiam

2. Munera Ironiæ sunt contemnere adversarium, ridere, argumenta ejus in risum vertere, aut lepidè retorquere, jocos, & sales mordaciter ingerere. Nonnunquam Ironia egregiè colores mutuat ab Hypotyposi, ut dicta, factáve cujusdam adducamus in audientium invidiam. Ex hoc loco heterodoxum ministellum, aut idololatram popam ad explodendam infidelitatem graviter describes sacrilegis sacris litantem. Dices in extasin raptum, enthusiasmo correptum &c. Sed nunquam melior est Ironiæ locus, quàm cùm ad retundendam cujusdam jactantiam omnia ejus

ejus facta ſale acriter perfricamus, & nunc cum Alexandro comparamus, nunc Ariſtotelem dicimus. Huc etiam ſpectat illa ratio, qua antecedens ſemper conſequenti evertimus. Ecce tibi quanta ſtudia Lutherus excomendis moribus contulerit. Vis ejus in menſâ temperantiam contemplari? voravit usque ad ructus. Viri magnos rigores quis non legit in facie? bovem Baccho ad Saturnalia ſaginatum diceres. Sed nulla virtus in ſanctiſſimo Apoſtolo tam prodigiosè promicat; quàm religio: ſutores, & ſartores, & cæterum bene olentem hominum gregem auctorare ſacris potuit intra paucorum dierum intercapedinem. Magnificentiam quid adducam? probata ea fuit in maximis ædificiis. Templa, monaſteria, & ſacras ædes, quas Chriſtiani principes multo plurium annorum labore non potuerunt conſtruere, ipſe potuit deſtruere. Pacis ſtudia in hoc ſacro homine plena miraculo fuerunt: totam Europam in arma conjecit, Superis ipſis bellum movit. Caſtimoniam teſtantur ſacræ virgines, non quas Chriſto ad-

duxit, ſed abduxit. Tam Sanctam vitam, quid dubites? ſanctâ coronatam morte? Sub extrema ita tœduit eum hujus vitæ, ut reſtim perſanctè, qua ſibi gulam frangeret, poſtularet. Avolavit anima ex vita hac, multis & magnis demeritis onuſta: magnus nigerrimarum alitum exercitus ſub mortem viſus eſt, qui tam piè defunctos manes ad æternam picem comitaretur. O virum temporis faſtis, & æternitatis annalibus digniſſimum!

pulchrâ quoad formam 3. Ex his vides eò pulchriorem eſſe Ironiam, quò pluribus figuris exornatur. Exemplum habemus, ſi avarum quendam Euclionem, qui plenis buccis ſuam liberalitatem ſufflârat, ita exagitemus.

„O te virum liberaliſſimum! amo„rem pecuniarum ita moderaris, & „opes tuas tam hilariter in pauperes „effundis, ut nemo poſſideat num„mum, quem tu non cupis, aut „non rapis. Longa foret condẽda vi„tæ tuæ hiſtoria, ſi ſingula liberali„tatis tuæ prodigia recenſere vellem. „Juventutem totam in quæritandis,

„dis, ætatem virilem in colligen-„dis, ſenectam in diſpenſandis opi-„bus trivisti. Templum nunc (ut „ajunt) numini ſanctiſſimo Mam-„monæ moliris, ut, cùm aureæ tuæ „vitæ curſum abſolveris, in eo poſſis „tumulari. Ex multo tibi capite „ſpondemus immortalitatem. Nam „vitia tua non morientur in hæredi-„bus tuis, ſed vivent in eorum mo-„ribus. Et quid? quàm graviter de „tua liberalitate teſtantur Divorum in „templis ſtatuæ, in foro monumen-„ta! illas ſpoliaſti, hæc evertiſti, ut „ſolita pietate tua in commune æra-„rium tuum (ciſtas tuas) opes om-„nes corrivares. Vir es in paucis „hoſpitalis, & hoſpes quotidianus in „menſa aliena. Sed linquamus hoc „monſtrum hominis, & ad virtutem, „virtutiſque cultores redeamus.

V. *Euſebius.* Quænam aliæ ad delectandum natæ ſunt figuræ? *Eubulus.* Chiaſmus, Emphaſis, Epiphonema, Epiploce, Hiſterologia, & Parentheſis. Has, cùm non multum artis, & usûs habeant, breviter, & exemplis extra ordinem datis tracta- *367. Chiaſmô*

bimus. *Eusebius*. Amplector consilium; sed quid est Chiasmus? *Eubulus.* Est decussatio, qua quatuor proponimus, quorum quartum primo, & tertium secundo respondet. Exempla habes n. 348. „Quanta est „in labore moderatio, & quantus in „moderatione labor. Similia sunt illæ laudandi, & vituperandi formulæ. Divus Anselmus Doctorum sanctissimus, & Sanctorum doctissimus. Calvinus impiorum impudentissimus & impudentium impiissimus profanâ miscuit sacris, & sacra profanis

Emphasi 2. Emphasin formas, si nomina, & præcipuè pronomina *ego*, *tu*, *ille*, *iste*, *hic*, *ille*, *suus*, *tuus*, *noster*, *vester*, ita ponis, ut altiorem præbeant intellectui sensum, quàm verba de se peterent. Ut si de die mortis dicas: *hic dies salutem tuam aut constituet, aut finiet.* Aut de patriæ proditore. *Hic ille in matris suæ viscera grassatur.* Gravissima est, si jungitur Reticentiæ de qua n. 322. e. g. *Túne mihi hoc, & in faciem?* subaudi: *obiicias.* Ex hac figura sua Petrus verba deprompsit Jo. 13.

6. Domi-

6. *Domine tu mihi lavas pedes?* vehemens, & pulchra eſt, ſi latentem ſenſum aliquo adjectivo emphatico depromis e. g. jacuítque per antrum immenſum; ex quo intelligis magnitudinem jacentis. ***Euſebius.*** Quomodo pronuntianda eſt Emphaſis? ***Eubulus.*** trahendo pronòmina, & vim per moram ipſi ſono vocis incutiendo.

3. Epiphonema eſt oratio, ſeu ſententia gravis ex narratis, & probatis eruta, & eisdem per modum coronidis ad delectandum, aut erudiendum ſubjecta. Vel breviùs: eſt rei narratæ, vel probatæ ſumma acclamatio. Frequens eſt Poëtis. Virg. 1. Æneid. 368. *Epiphonemate*

Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Sed longè frequentiſſimum eſt oratoribus in fine Narrationum: ubi ſi totius rei narratæ ſummam egregiâ ſententiâ complexus fueris, næ rem magnam præſtiteris. Eruitur autem ferme ſemper ex adjunctis rei narratæ, & nunc per admirationem, nunc per interpretationem effertur. Illius exemplum eſt illud Virgilii 4. Georg. admiran-

tis apum, quarum labores descripserat, industriam.

Tantus amor florum, & generandi gloria mellis. Hujus normam habes in illo valerii Max. sic sermonem, quem bene longum de damnis neglectæ religionis l. 1. c. 35. instituerat, finientis. „Lento gradu ad vindic„tam sui divina procedit ira, tardita„témq; supplicii gravitate compensat. Egregium est illud exemplum Jo. Mabillonii to. 1. Annal. Bened. l. 3. n. 2. ubi illam S. Mauri super aquas ambulantis obedientiam, & S. Placidum liberantis historiam ita claudit: „Hoc tam celebri, & memorando „prodigiô, quod in duobus illustri„bus Romanis adolescentibus toti ur„bi, nedum orbi, quasi coram osten„tatum fuit, posteris Deus declara„tum voluit, Benedictinam Religio„nem in humili obedientia maximè „fundari, nec ullam aliam per æstu„antis sæculi fluctus tutiorem esse ad „salutem viam. Præprimis elegans est Epiphonema per distributionem elatum, quale est illud Cic. pro Sext. „Hoc sentire prudentiæ, facere forti„tudinis, & sentire verò, & facere „perfectæ, cumulatæque virtutis.

4. Epi-

4. Epiploce affinis Gradationi, de qua n. 318. nihil eſt aliud, ac quædam catena ſententiarum, quarum ſemper ſequens trahitur ex antecedenti. Locum ſibi ferme vendicat in ſolis narrationibus. Exemplum dabit Simplicitas, quod nectes numero 364. Fidelitati. 549 Epiploce

„Verùm hæc non ſufficiunt virtu„tibus chriſtianis, niſi Simplicitas di„rigat intentionem noſtram ad pau„ca, & neceſſaria media, manudu„cátque, ut iis ſolam Dei gloriam, „noſtram, proximíve ſalutem ſine „omni fuco quæramus. Cúmque „mentem eum in modum direxerit, „neceſſe eſt, ut totam vitam no„ſtram ſolis bonis operibus circum„ſcribat, & ad mala diffluere nun„quam ſinat. Si circumſcripſerit o„pera, compellere quoque debet a„nimum, ut nihil per hypocriſin a„gat. O beatum hominem, qui „ab hac præſtanti virtute ad ſimpli„citatem intentionis, à ſimplicitate „intentionis, ad ſimplicitatem ope„rum; à ſimplicitate operum, ad ſim„plicitatem vitæ deducitur, deduc„tus componitur, compoſitus inſo-

lubili

„lubili vinculo usque ad mortem con-
„ſtringitur !

370. *Hyſterologia*

5. Hyſterologiam (Hyſteron Proteron alii dicunt) huc colloco, non illam Poëtis familiarem, qua ordo in ſententiis diſſolvitur, & ea, quæ poſterior ponenda erat, prior ponitur, quale eſt illud Virg.

Et torrere parant flammis, & frangere ſaxô.

Prius enim triturâ franguntur fruges, dein coquuntur: ſed illam Hyſterologiam qua integræ cujusdam facinoris circumſtantiæ è ſuo loco emotæ transponuntur, hîc urgeo. *Euſebius.* Non aſſequor dicta. *Eubulus.* Conſequéris exemplo: quale foret, ſi divitis epulonis Luc. 16. tormenta in inferno prius deſcriberes, & tum primùm ejus luxum, & vitam aggrederéris. Huc ſpectat elegans illa hiſtorias narrandi ratio, qua nomina perſonarum celamus usque ad finem narrationis, & tum ea per figuram Suſtentationis producimus. Præbet hæc figura ampliſſimam in genere Demonſtrativo Divis e. g. gratulandi materiam. Præcipuum autem decorem habet, ſi Di-
vi,

vi, cui panegyrin condis, geſta jam nota ſunt; hâc namque ratione conciliabis orationi novitatem, & in audientibus admirationem excitabis. Facilis reddetur Hyſterologia, ſi quæ n. 195. de genere perſonarum diximus, obſervaveris. Velis ergo novis coloribus veſtire notam, & priſcam S. Placidi Protomartyris noſtri hiſtoriam, tecto nomine dic eum principem; pari ratione celabis Siciliam, & Meſſanæ nomen, & dices eum miſſum cum ſociis in fæcundam inſulam, non à S. P. Benedicto, ut habet vitæ hiſtoriâ, ſed à Deo. Cúmque hunc in modum tectis nominibus totum martyrium ob oculos poſueris, quæritabis, nunc à Deo, nunc ab auditoribus, nunc ab ipſis Divis pro fide cæſis, quale ſit ipſis nomen, quæ patria, quódve genus &c. ac tum hæc omnia ſubiicies per vehementiores figuras, novas laudes erues ex Adjunctis (de quibus n. 215) parentum, patriæ, S. Benedicti &c. ac tandem totum ſermonem concludes vel gratulatione per Apoſtrophen, vel arcu triumphali per Hypotypoſin, vel applauſu

applauſu totius Siciliæ, aut ord. noſtri per Proſopopœjam. Adi c. 7. §. 2.

Parentheſi

6. Claudamus tandem has ad delectandum natas figuras Parentheſi, quâ ſententiæ alicui aliquid interponimus, quod ad ipſam non ſpectat, ob claritatem tamen, aut brevitatem ab ipſa alienum non eſt: e. g. O miſeram hominum vitam! (ſi tamen Chriſtianus miſer dicendus eſt, qui ipſis miſeriis æternam felicitatẽ mercari poteſt) cui mors perpetuò inſidiatur. Parentheſes nimis crebræ faſtidium, nimis prolixæ obſcuritatem pariunt, tum præcipuè, cùm eas alio vocis ſono orator à reliquo contextu non diſtinquit.

Interſtinguere orationem Interpunctionibus.

7. Velut autem corporis humani abſoluta pulchritudo non in pulchris veſtibus, ſed in pulchris membrorum partibus inter ſe ſuavi varietate diſtinctis, & unitis conſiſtit: ita quoque ut Oratio, Epiſtola, Hiſtoria debito conveſtiatur decore: haud ſatis eſt, ut fulgeat figuris, incedat argumentis, exornetur ſententiis; ſed porro neceſſe eſt, ut eædem pulchris parti-

partibus compaginentur, ſicque ſint varietate diſtinctæ, ut nec diſtinctio unioni, nec unio varietati officiat. Ut ergo Euſebi hanc gratiam cuivis ſcribendi, dicendique generi concilies, debitam Interpunctionis, qua hic decor aquiritur, rationem exactè condiſcas. Formam habe in hac Oratiunculâ. Eſt autem

Punctum	Exclamationis	!
	Admirationis	!
Interpunctio varia; fit hoc modo	Punctum	.
	Duo puncta	:
	Semicolon	;
	Punctum Interrogationis	?
	Parentheſis, & Claudatur	( )
	Comma	,

1. Si admiraris, ingemiſcis &c. Mi Deus! Summa! infinita Bonitas! *Exclamationis* *Admirationis*

2. Si periodum, aut ſenſum perfecta ſignificatione abſolutum finis. „Tu es vera ſapientia, & ſolus „præſtas veram ſapientiam. Quem „tu non doces, is non ſapit, ſed de„ſipit. *Puncti*

3. Si

Duo puncta, aut Semicolon

3. Si membra Periodi interpungis. „Resurgat Aristoteles, & explicet Philosophiam suam; prodeat „Plato; & ventitet eruditionem suam; „personent omnia Athenæa, & clamitent doctrinam suam: si tu Domine taces, & cæcitatem meam non „illuminas; si tu sapientiam tuam abscondis, & non communicas; si tu „me deseris, & non erudis: à meâ me „ignorantiâ non solùm nemo vindicare, quam adeo detestor; sed etiam nemo mihi conferre lumen, „quod tam vehementer ambio; minus „tui mihi cognitionem, in qua solâ „consistit summa sapientiæ, poterit „impertiri.

Interrogationis.

4. Si interrogas. Quid ergo me fallo? Quid diutius moror?

Punctis Commatis &c.

5. Quæ mediant interrogationem, suis notis interstinguis. „Cur non fugio ad te Domine, ut doceas me? „Jam rumpo moras. An mundi vani „rumor interpellet me, quò minus audiam te? Absit. Loquere tu Domine. En! audit servus tuus.

Parenthesis, & Claudatur

6. Si quid sententiæ interponis. Sa-

„Satis dedi (atque hoc profu-„ſis lachrymis defleo) vanæ mundi „ſapientiæ.

7. Si clauſa parentheſi exprimis interrogando, vel exclamando. „Nunc ſum Domine (ah ne „me repellas !) nunc ſum diſcipu-„lus tuus, Sola mihi deinceps vox „tua, illuminatio ; ſola tua (quid e-„nim aliud optet anima mea ?) locu-„tio, erit mihi conſummata ſapien-„tia. *Exclamationis, Interrogationis,*

8. Si interſtinguis inciſa. „Fac er-„go, mi Deus ! ut te intelligam, ut „intellecta faciam ut facta ſemper ad „infinitam tuam gloriam ferventer, „& purè referam, Amen. *Commatis*

§. VII.

Imaginibus interſtincta periſtromata expanduntur per figuras ad movendum inventas.

371.

EUbulus. Noſti Euſebi primatem curam oratoris in eo deſudare, ut animos audientium moveat, & expugnet, nunc metu dejiciat, nunc ſpe erigat, nunc amore trahat, nunc odio irritet. Materiam *Diſtinquere orationem*

hiſce rebus ſuggeſſi ampliſſimam à n. 254. ad n. usque 268. formam iſtæ, de quibus hôc 7. § nobis ſermo erit, dabunt figuræ. Hæ licet etiam ad docendum, & delectandum conducant, potiſſimùm tamen inventæ ſunt, ut iis audientium affectus quaſi vinculentur, & ab oratore in omnem, quam velit partem, trahantur. Multum ergo tibi intereſt, ut has mentium noſtrarum moderatrices figuras ritè calleas, & debito loco uſurpes. Sit itaque.

figuris inventis ad movendum, uti

872. *Erotemate ad affectus concitandos.*

I. Interrogatio (Græci Erotema dicunt, aut Erotheſin) figura eſt, quâ orator aut ſe, aut auditores, aut abſentes, quin etiam inanimata interrogat non ſciſcitandi, ſed affectum quendam urgendi gratiâ. Proin hæc figura aptiſſima ad quemlibet affectum exprimendum veluti amoris, ſi dicas e. g. de Chriſto. „Quis amore „noſtro dignior, quàm Chriſtus? „Quid eſt, quod commodis noſtris „non impenſum voluit? an vitam? „mortem ſubiit crudeliſſimam: an „Carnem, & Sanguinem ſuum? præbet „nobis in epulo Euchariſtico &c. Concitat dolorē & comiſerationē ſi dicas per

per Proſopopœiam, & Dubitationem, e. g. de S. Glodeſinde noſtra furentem patrem, & obtruſas nuptias fugiente. „Quò me vertam? ad „patrem redeam? exutô patris affectu „tyrannum induit &c. Quò itaque „ibo? ad ſponſum cœleſtem. Sed „ubi latet? in ſolitudine &c. Sed longum foret omnes animi motus perſequi, & ſupervacaneum, cùm eorum exempla paſſim legenti occurrant.

2. Porro Interrogatio præbet formam deridendi, vexandi, monendi, ſpondendi, inſultandi. Materiam hiſce rebus ſuppeditabunt facta perperam geſta, interpretatio operum, adjuncta & comparatio perſonarum, fines, & intentiones conglobatæ; uti ſi cujusdam Sancti facinus heroicum declarâſſes, dein per interrogationem, qua intentione, quo fine, quàm illuſtri, quàm ſublimi illud patrârit, ſubjungas. Servit quoque hæc figura ad elevandum ſtylum. Sic videbis iisdem verbis nudè prolatis nullum ineſſe decorem; ſi verò animentur Erotheſi, te non ſolùm moveri, ſed etiam delectari experieris.

facta declaranda.

3. *Euſebius.* Sed quandonam po-

urgendum

tissimùm hæc figura adducenda est? *Eubulus.* Si 1. rem quampiam vehementer urgere, 2. si invidiam alicui accersere, 3. si imperare volumus, & 4. admirationem concitare. Exemplum esto virtus *Amicitiæ.*

„O quantæ præstantiæ virtus est „Simplicitas! auserim tamen dicere „longè præstantiorem esse Amici„tiam. Illa hominem uniformem „conservat, hæc duos quasi in unam „formam conflat.

1. „Quis adeo barbaræ mentis? „quis adeo ab omni humanitate alie„nus, qui non ambiat amicum? „An non omnium odia, & execra„tionem meretur, qui nullum vult „amare, & à nemine amari? Quæ „ursa? quæ tygris unquam tale „monstrum genuit, cui vel ipsa „vita sine socio jucunda esse possit?

accusandum 2. „Quis hoc Timonum genus in„ter homines ferat? an non hi cœ„lo injurii, hominibus infesti, sibi„met infensi? Eósne dicemus homi„nes, qui omnia hominum jura e„versa volunt? Quid doctrina? quid „opes, quid vita ipsa proderit, si „neminem doceas? cum nemine „com-

„communices ? & nemini vivas ?
S„3. Cur non reſpicis exempla Serva-
„toris tui ? Non inſonat illius dul- Empetandum
„ciſſima vox auribus tuis ? cùm diſ-
„cipulos, homines rudes, è piſca-
„tu viventes, vocat amicos ſuos ?
„Edic, ſi potes, ubinam inveniemus
„perfectiorem cœleſtis patriæ imagi-
„nem, quàm in ſyncera amicorum
„ſocietate ? Non vides quàm ſalubre
„in dubiis ſuggerant conſilium ? quàm
„promptum in ærumnis ferant auxi-
„lium ? quàm tenerum in mœrore
„præſtent ſolatium ? 4. Heu ! quæ admirandum
„mala vaticinari non cogimur iis, qui
„his præſidiis omnibus carent ? Quid
„agent, ſi prementur ? digni ſunt,
„ut ſupprimantur : quid agent, ſi
„deiicientur ? digni ſunt, ut abiician-
„tur : quid agent, ſi omnium ope deſ-
„tituentur ? digni ſunt, ut juſtis o-
„diis ſcopus conſtituantur.

4. *Euſebius.* Quot modis fieri po- 979. modis
teſt Interrogatio ? *Eubulus.* Quatuor. quatuor per
1. ſi ſemetipſum orator interrogat, ſi-
bique reſpondet. 2. ſi Interrogatio, &
Occupatio ſociantur. 3. ſi Erotemati
obiiciuntur antitheta. 4. ſi Dubitatio-
ne, Correctione, & Interrogatione
pugnam verborum, & affectuum con-

citamus. Exemplis ſingula illuſtrabit tertia virtutum moralium Fortitudo.

Interrogationem „Sed avocemus orationem ab his „hominum monſtris, & ſtylum convertamus ad Fortitudinem. 1. Quô „præconio exornem hanc præſtantiſ„ſimam virtutem? omnium virtutum „meritis: hæ námque ſine ipſa non „aquiruntur in pace, nec ſine ipſa in „adverſis conſervantur. Quod ſibi „munus ſumit Fortitudo? ampliſſi„mum: appetitum (ut vocant) iraſ„cibilem, qua nulla fera eſt ferocior, „manſuefacit, & dirigit; prudentiam „confert, & audaciam, ut pericula „nec temerè adire, nec timidè refu„gere præſumam. Dicamne, quàm „grata ſit Deo, & nobis glorioſa? Ille „ſe non dedignatus eſt noſtram for„titudinem appellare: quid præſtan„tius? Si Fortitudine animum obar„mo, etſi totus inferus in me conſur„gat, vinco: quid glorioſius? 2. Edic *Occupationem* „quæſo, quid poſſit fortem animum à „Deo? à virtute? à ſemetipſo averte„re? an crudelitas ignitâ ſartagine? „rotis? gladiis? illa quidem ſævire po„teſt in corpus, animum deiicere non „poteſt. Compedes minaris, & vin„cula?

„cula? armillas æſtimabit, & induet „hilariter; famem intentas, & ſitim „horridam? ut epulas amabit, & per- „feret conſtanter; ad mortem dam- „nas immaniſſimam? ut gratiam am- „plexabitur, & ſubibit fortiter. Quis „unquam tyrannus tam horrida, tam „diuturna, tam immania potuit tor- „menta excogitare, quæ fortes non „pertulerunt? 3. Econtra verò tolle „fortitudinem, an non reliquæ virtu- „tes ſuum nomen amittent? Quid eſt „ſapientia, ſi faſtum fortitudine non „reprimas? ſtultitia eſt; quid opulen- „tia, ſi fortiter non uſurpes? pauper- „tas eſt. Quid prodeſt inſignis pru- „dentia, ſi quovis ſiniſtro mentis af- „fectu infatuari poteſt? Quantus es, „ſi ſcias jura integris regnis dicere, „tibi autem dominari non poſſis? „Omnes in caſtris vivimus, ab hoſ- „tibus undique obſidemur, unde „arma, robur, animum repetes? „niſi fortitudo ſuppeditet? an arma „petes à mundo? inermis eſt; an „robur emendicabis ab amico? in- „firmus eſt; an animum mutuabis „à ſocio? puſillanimis eſt. Quando „quæſo arma ab exarmatis, libertatẽ à

Antitheſis

„captivis, robur à debilitatis impe-
„trabis? Quis autem ſine fortitudi-
„ne inermis, captus, & debilis non
„eſt? vis noſſe, quàm paucorum
„ſit vera fortitudo, noveris, quàm
„multorum ſit inertia. Heu! quot
„invenire eſt, qui ſibi in periculis de
„ſecuritate blandiuntur? & ſecurita-
„tem periculum interpretantur?

Dubitationē & Correctionem 4. Quô nomine hos heroës, qui à fortitudine alieni nullam ſibi, vitiisque ſuis vim inferre volunt, appellabimus? an gulones? toti ſunt in explendo ventre, nulla ipſis de mente cura eſt. Sed honeſtatis quoque repagula perfringunt; dicemus ergo lenones? pudicitiam contemerant dictis, & factis. Sed fidem præterea nec Deo, nec homini ſervant; nominabimus itaque etiam perfidos, rebelles, votifragos? Digniſſimi quidem ſunt omnibus his notis, ſed quô vocabulô eorum turpitudo adæquari poſſit, quis oſtendet?

374. *Adjuncta* 5. Huc ſpectat gravis illa interrogandi ratio: cùm rem quampiam refutamus per Adjuncta breviter recenſita; uti ſi dicas hominem, qui cuivis in virtutis exercitiis occurenti

ti difficultati ſtatim cedit, reprobationis notâ inſignitum eſſe.

„Quis ille? qua ætate vixit? ubi „mortuus eſt? cui cœlum patuit, & „cœlo vim non intulit? Quos abſor- „bet tartarus? niſi qui voluptate dif- „fluunt? ubi proximior interitus, „quàm ubi pereundi pericula non „propelluntur? Qua arte? quibus „mediis orcum triumphârunt Sancti? „vicerunt vitia? non reduces ad „mentem? non adduces in mores? „non produces ad exemplum eorum „longas vigilias? inediam? prolixas „preces? Si cœlum cupis pari feli- „citate expugnare cur victorum re- „pudias arma? Si placent arma, ſi „movent exempla, cur non ſtringis? „cur non ſequeris? cur ſtertis? Per- „ges medios inter hoſtes dormitare? „Perpendis de qua tibi coronâ pug- „nandum? æterna eſt; quo in loco? „ubique; quando? ſemper; quo- „modo? ſolus. Quid tibi in ultimo „conflictu eveniet, ſi mentem „Chriſtiana fortitudine non obarmes? „Econtra verò terque, quaterque be- „atos quis eos non pronuntiet, qui

„ſub fortitudinis ſignis uſque ad mor-„tem militant? non vides, quanta il-„li præſidia vel à ſola animi magna-„nimitate habeant?

875. *Reſponſione*

6. Hujus loci quoque ſunt Reſponſio, & Ratiocinatio. Illa fit, cùm aliud interroganti aliud reſpondemus; vel ad rem primò penitus negandam, vel ſecundò ad eam ſaltem minuendam: vel tandem tertiò ad eam augendam. Penitus negas, ſi interroganti ***an Angli colerent hauſtam ab Auguſtinô, & P.P. noſtris priſcam religionem, & ſanctimoniam?*** reſpondeas: ***ne honeſtatem quidem.*** Minuit rem accuſatus, ſi ſciſcitanti judici, ***an hominem necâſſet?*** reponit: ***injuſtum aggreſſorem.*** Tandem augemus rem, ſi rogati, ***an incarcerati fuerimus***, reſpondeamus, ***& innocentes multis menſibus.*** Hæc figura etſi ſpernenda non ſit, raro tamen uſurpetur. Nonnunquam concitat egregios affectus. Quid meliùs ad motum, quàm hæc S. Felicitatis filios ad conſtantiam hortantis proſopopœia? „Filii cœlum ſuſpici-„te; nullæ vos terreant hominum mi-„næ; ſervate Deo fidem, qui pugnan-„tes roborare, & triumphantes cupit

„coro-

„coronare. Servabimus mater uſ-
„que ad carceres, rotas, ignes, aduſ-
„que genus necis immaniſſimum.

7. Hæc eſt, qua ſe frequens orator interrogat, cur hoc, illúdve dicat? vel dixerit; aut qua à ſemet dicti cujusdam paraphraſin petit. Hæc figura ad movendum, & docendum eſt aptiſſima, & audientium animos attentos reddit. Exemplum dictis ſubnectet *Magnanimitas.* *Ratiocinatione*

„Hæc eſt illa Fortitudinis primo-
„genita proles. Hâc qui ſe duci ſi-
„nunt, maxima virtutis nomine ag-
„grediuntur opera, & eximio honore
„digniſſima, honorem tamen ipſum
„denegatum non ambiunt, atque ob-
„latum repudiant. Sed cur hono-
„rem contemnunt? quia vilis eſt, quia
„brevis, quia virtutis umbra, quia ſæ-
„pe faſtûs aut mater, aut nutrix eva-
„dit. At cur magna moliuntur, cùm
„ſemetipſos parvos & dicant, & cre-
„dant? Magnitudo Dei, cujus ſe ſer-
„vos, & imitatores profitentur, allicit,
„ut magna velint; Dei gratiâ, quâ
„ſuas vires metiuntur, roborari ſe
„ſciunt, ut magna poſſint confice-
re.

„re. Cur autem nullo honoris, qui „tamen magnis virtutum operibus ceu „merces debetur, tenentur deside„rio? Una ipsis, & summa merces est „placuisse Deo? At ipse honor quo„ties Dei honorem propagandi præ„bet materiam? In hoc honore nihil „honoris aspiciunt, sed honorem to„tum convertunt in instrumentum di„vinæ gloriæ. Quis autem nostrum „non audit hos viros palàm eximiè „prædicari? & si tacerent homines: „an non loquerentur saxa in templis, „quæ construunt? scientiæ in gym„nasiis, quæ condunt? mores in sub„ditis, quos dictis, & exemplis ad om„nem virtutis pulchritudinem perpo„liunt? Laudes suas non attendunt, „sed negligunt, ac eam suam existi„mant, quâ Dei sui honorem pos„sunt propagare.

376. *Sustentatione*

II. *Eubulus*. Quamvis Sustentatio egregium sit lumen in narratione, ut tamen in hunc locum reservarem, persuasit, cui ferme conjuncta semper, & connexa est, Interrogatio. *Eusebius*. Quid ergo est Sustentatio? *Eubulus*. Figura, quâ aliquamdiu sus-

ſuſpenſos auditorum animos tenet orator, antequam rem ipſam, quam hactenus ad majorem conciliandum motum velut animô preſſerat, propalet. En normam ex Magnificentia.

„Sed quid de Magnificentiâ in-„dividua Fortitudinis ſociâ dicamus? „An memorabimus magnos auri the-„ſauros, quos profundit exſtruen-„dis Divorum ædibus? an gem-„marum grandia pretia, quæ con-„ficiendæ, & exornandæ ſacræ ſu-„pellectili expendit? an ampliſſi-„mas opes, quas plena manu in pi-„os ſervorum Dei cœtus elargitur? „Quid exſpectatis? concipite ani-„mô, quæcunque vultis, maxi-„ma, vincam tamen exſpectatio-„nem omnium. Hæc virtus Deum „ipſum prodigioſè imitatur. Fecit „is, ut nos redimeret, ſumptus „maximos, ſanguinem expendit, „& vitam: expendit hæc quidquid „pretioſum in theſauris latet. O Vir-„tutem longè maximam! verè re-„giam!

2. Miram vim confert hæc figura ad exaggerandum præcipuè in ge-

genere demonstrativô. *Eusebius.* Qua id ratione aggrediar? *Eubulus.* Minora multa ad laudem, vel vituperium producito, hæcque eadem dein reiice, & in eorum vicem aliquid magnum, quod vix cogitatione concipi potest, subjunge, illúdque proba subjunctis rationibus. Modum sumamus à Patientia.

„Venimus jam ad Patientiam, in „qua quid primò prædicem, anceps „hæreo. Necem parentum, amico„rum interitum, morbos, exilia, dam„na, injurias, contumelias, & cætera „calamitatum genera, quæ hilari ore „perfert, producam? hæc ut per„feras, misera vitæ humanæ expos„cit conditio: num imperterritos „animos, quos nulla fortunæ tem„pestas concutere potest, dilaudem? „ampla quidem hæc est laudis ma„teries, sed Patientia virtutem suam „longè latiùs exporrigit: an gran„dia illa opera, gentes conversas, „libros exaratos, hæreses extinctas, „quibus conficiendis sola robur con„fert Patientia, describemus? sed „hæc paucis sunt cognita, multis ig„nota: an varia lethi genera, quæ „hilari

„hilari animo docet ſubire Patientia,
„extollemus ? ſed egreditur illa mo-
„riendi fines , & eos , quos in vitâ
„ad usque mortem roborat , poſt
„mortem coronat. Quid ergo ex-
„ſpectas ? Dicam paucis plurima.
„Sine Patientia nec vivere poteris,
„nec mori. Non vivere. Nam ſi
„opulentus es, torquebunt curæ rei
„familiaris : ſi pauper es, rerum de-
„fectus cruciabit : ſi honoribus emi-
„nes, æmulos patiéris : ſi inglorius
„vivis , contemnéris : ſi ſanus es ,
„fatigaberis labore, ſi æger, dolore.
„Nihil, quod ſuave, ſine aculeis ; ni-
„hil , quod ſublime, ſine vertigine ;
„nihil, quod dulce, ſine felle. Ipſis
„Regum coronis dolores inſidiantur.
„Numera ſis in illis gemmas, plures
„ego recenſebo curas. Quò quisq;
„major eſt, eò major paratur dolori
„locus ; quò quisque vilior, eó con-
„temptus major eſt, & ex contemp-
„tu dolor acutior. Si ergo vitam
„non potes ſine Patientiâ, quî pote-
„ris mortem obire ? Non vides ce-
„dros illas, non columnas illas, non
„rupes , Sanctos inquam Dei homi-
„nes extrema mortis tempeſtate mo-
„veri ,

„veri, concuti, turbari? Quid eveniet arundini, nisi ferales impetus fregerit Patientia! Hac sine succumbes dolori corporis, angori mentis, terrori jam jam terribiliter iminentis divini Judicis.

307. *Commoratione*

III. Sed de Sustentatione, & Patientia satis: nunc enucleandæ veniunt Diaporesis, Reticentia, & Commoratio. *Eusebius.* Quî construitur Commoratio? *Eubulus.* Unam, eandémque sententiam tamdiu mutatis verbis versa, donec eam totam sub oculos ponas. Associat sibi Commoratio varias figuras, earúmque usu eandem rem variis modis expolit. Hinc etiam dicitur Expolitio, locúmque sibi vendicat in materiâ gravi nonnunquam amplissimum, & in magnam orationis partem diffusum. Soror est Periphrasis, de qua n. 309. *Eusebius.* Dictis lucem fer exemplo à virtute Securitatis ductô.

„*Eubulus.* Felix igitur Eusebi, qui mala novit Patientiâ superare, felicissimus, qui Securitate didicit bona conficere. Rebus omnibus ille major erit. Maxima quæque virtutis opera tranquillo, pacatóque animo

„nimo aggredietur, anxium timo-
„rem, quem aliis errandi formido
„incutit, refrænabit; ordine cuncta,
„nihil præpostere agit; tam magnâ
„finẽ assequendi feretur fiduciâ, quàm
„magnâ in quodvis medium incum-
„bet industriâ. Magnitudo laboris
„non hebetat spem, nec spes enervat
„laborem. Quidquid ad opus confer-
„re potest, id constanter affert. Vis in-
„genium? acuit; vis manum? admo-
„vet; vis linguam? dicit. Quidquid
„operis præstantiam minuere, aut
„successum retardare potest, abscen-
„dit. Cumque de suo studiô nihil non
„contulerit, ita nititur divino auxi-
„liô, acsi nihil ageret. Ecce tibi! quàm
„verax est, cùm loquitur! quàm gna-
„rus rerum, cùm consulit! quàm te-
„nax recti, cùm judicat! Nihil tam
„abstrusum, quod non penetrat; ni-
„hil tam arduum, quod non superat,
„nihil tam vile, quod non æstimat. O
„quàm pulchrè quies animi è facie re-
„lucet, in mediis negotiis! O quàm
„magnificè sentit de Deo adjuvan-
„te! quàm demissè de se cooperan-
„te! O si loquentem audires, cùm

„Deo loquitur! In nomine inquit tuo „mi Deus hostem superabo, amicum „servabo, virtutem colam, litteras „discam, prospera humiliter, ad- „versa fortiter, vitam piè, mortem „sanctè obibo. Si mihi obiiciant a- „gendi tarditatem, vitæ brevitatem, „hostium multitudinem, dicam ego „eis: omnia possum in te, qui me „confortas Deus. Utere servo tuo „ad magna, aggrediar; ad parva, „amplectar. Si jubes pergere, per- „gam; si cessare, cessabo.

378. Reticentia

IV. *Eusebius.* Quomodo construitur Reticentia? *Eubulus.* Duplex est affectuum genus. Aliqui sunt eloquentes, uti amor, gaudium, desiderium &c. Alii sunt taciturni, & pauca loquuntur præ rei indignitate, velut ira, desperatio, tristitia, odium. Cùm itaque horum quemdam affectum exprimere conatur Orator, abrumpit orationem tum ad movendam suspicionem dictis majora latere, cum ad ostendendam rei magnitudinem effatu haud exprimendam; ut, cùm vix appareat, quid dicturus fuerit, animus audientium suspensus relinquatur,

tur, sicque relictus moveatur. Atque eam rationem quoties inieris, conficies Reticentiam, vel ut alii vocant Aposiopesin. Talis est illud Virgilii.

Quos ego? Sed motos præstat componere fluctus.

Ut autem oratio prudenter abrumpatur; ratio evincat, dicamusque nos parcere audientium verecundiæ, aut nos dolore obrutos non posse pergere, aut rem meliùs cogitatu, quàm effatu exprimi. Ex his patet dominari hanc figuram in maximis affectibus, & tum maximo motu non minus, ac ornatu adhiberi, cùm multa dicenda sunt per Parelepsin. Formam dictorum à virtute Perseverantiæ capiamus.

„In patientiæ comitiis primam pro-„pe sententiam ferre solet Perseveran-„tia. Sine hac quid prodest grandia „virtutum opera incepisse, cùm mer-„ces, & gloria soli detur Perseveran-„tiæ? Tolle ex castris, tolle ex gym-„nasiis, tolle ex cœnobiis Perseveran-„tiam, & unâ simul sustulisti victori-„am; scientiam, & sanctimoniam.

„Incaſsùm agit, qui, quod agit, non „abſolvit. Si fabrices domum, & „deſit tectum, ſi ares agrum, & ſub„ducas ſementum, ſi mediteris Ro„mam, & abrumpas viam, quid egiſ„ti? Multùm inquis egi, alſi, ſudavi. „Sed mi bone quid prodeſt ſic egiſſe? „domum tuam nunquam poteris in„colere, agrum nunquam metere, „Romam nunquam pervenire. Si „tanti intereſt perſeverâſſe in iis, quæ „molimur in tempore? quid dicemus „de iis, quæ paramus æternitati? Heu „mortalium immenſam cæcitatem! „hanc virtutem negligentium! Noli „tu tibi de tua blandiri pudicitia: niſi „perſeveres, punieris cum adulteris; „tu de tua fide: niſi perſeveres, dam„naberis cum idololatris. Ah tu quis„quis ſalutis tuæ curam geris, per„ſeverantiæ gratiam flagita, emendi„ca, poſtula, Superos omnes inter„pella. Quid non timeamus illis, qui „non volunt, aut norunt ſic mendica„re! O vos horæ! ah dies inanes! u„bi? Sentio mihi animum conſtrin„gi, intercipi verba, date pio dolori, „ut ab his damnis mentem, & lin-

„guam

„guam parumper avertam. Vobis e-
„go, vobis, veſtræ prudentiæ, amori-
„que veſtro reliqua conſideranda re-
„linquo.

V. *Euſebius.* Quid tandem eſt Diaporeſis? *Eubulus.* Latinis dicitur Dubitatio, diverſa tamen ab illa, dequa ſupra n. 329. fitque tunc, cùm ſolliciti hominis, & conſilii perturbatione hærentis affectum aſſumit orator, ac anxiè quærit, quid ſit agendum, dicendúmve, & tandem ſua ſe quæſtione evolvens inexpectatum conſilium capit. Hæc figura magnam vim habet concitandis affectibus, rebus exaggerandis, & diducendis argumentis. Induſtrias quoque præbet laudandi, conquerendi, & timendi. Normam habebimus ſi hominem de ſalute ſuâ anxium, & à Longanimitate conſilium capientem audiemus. *379. Diaporeſ.*

„Sed cùm taceo, videor mihi au-
„dire loquentem potius dicam, an
„gementem? Si ita res inquit agi-
„tur, quid agam infelix? Virtutis con-
„ſilia capiam? vix incipio, à cœptis

,,diffluo: Superûm opem, & gratiam ,,invocem? non mereor exaudiri: o-,,pes meas offeram? ingrata ſunt ,,Deo delinquentium munera: pub-,,licum fugiam? & hominum con-,,ſortia devitem? illud non ſinit offi-,,cium, hoc charitas averſatur. Clau-,,ſtrum petam? impedior: in mun-,,do perdurem? inquinor. Pericu-,,lis undique pateo, & in damnis meis ,,vita dilabitur. Quid ago? intra ,,me propria eſt fragilitas, qua ener-,,vor; extra me mundi fraudes, queis ,,deludor; circa me dæmonis mali-,,tia, qúa pervertor. Et ſi quando-,,que aut deludentem effugio, aut ,,impugnantem vinco, quoties deci-,,pior, quoties vincor! Dolor ſi diu-,,turnus, impatientiam; honor ſi ,,conſtans, ſuperbiam; amicitia ſi ,,longa, contemptum parit. Cùm ,,ergo ubique impetamur ad lapſum, ,,& ſola prolabentes poſſit Longani-,,mitas conſtanter ſuſtinere, ejus me ,,ſtudiis totũ conſecrabo, nulla me ſi-,,nam temporis diuturnitate devinci. ,,Si Deus non audierit orantem, ſa-,,nârit ægrotantem, afflictúmque non libe-

„liberârit, orabo tamen. & quam-
„diu ſpirabo, ſperabo: ſcio námque
„T. O. Dei ſanctiſſimos mores: dif-
„fert dare, quæ petimus, ut ampliet
„corda noſtra capiendis iis, quibus
„magis indigemus. 380

VI. Facilis, & ad concitandos motus potens eſt Exclamatio, quâ rei cujuspiam, aut perſonæ, etiam abſentis, vel defunctæ compellatione dolor, aut indignatio, lætitia, aut admiratio exprimitur; qualis eſt, ſi exclames: ô diem funeſtiſſimum! *Exclamatione* **Euſebius.** Quando adhibenda eſt? **Eubulus.** Si rem quampiam inſignem multis argumentis probatam & argumentationibus extenſam attuliſti. Exprimitur ferme hiſce particulis O, heu, prô &c. Varii ſunt hujuſce figuræ modi, tres tamen præ cæteris notandi ſunt. Primus eſt, cùm Dubitatione interjecta effertur. Secundus, cùm ſingulis ſententiis brevis, & è re nata exclamatio ſubnectitur. Tertius demum, ſi dictum, aut factum per Ironiam explodimus. Pro ſingulis menſuram cape à virtute Conſtantiæ.

„De Conſtantia quid dicamus? „hæc eſt illa humani cordis moderatrix, munimentum innocentiæ firmiſſimum. Varius eſt humanæ naturæ genius, levi aurâ; volubilis, modico impulſu; fluxus, exiguo vento de ſuæ fortunæ ſtatu dejicitur. „Placet nunc, quod paulo ante diſplicuerat, & nuperam fletûs materiam convertimus in tripudia. Neminem tam inſanum inveneris, qui „non quandoque ſe in virtutis ſemitam recipiat. Sed ô quàm brevis „eſt hæc felicitas! qui heri regiam „probitatis viam ingrediebatur, hodie „deviat. Et quod ſine fletu vix commemorari poteſt, hæc ipſa mentis „inconſtantia cõſtanter impetitur ferme tot ventis, quot laboramus „virtutum impedimentis. Hæc quis „numeret, & ſi numeraverit, quotus quiſque removet? Vertumni ſumus omnes, & rerum viciſſitudine deludimur omnes. 1. O inconſtantiam! inconſtantiámne dicam, „an levitatem deplorandam? Quis „non concutiatur timore, cum ſuæ „mentis nobilitatem conſiderat? 2. „Sæpe meliora conſilia concipimus:

„O

"O bene factum! Sed ſi modicè "concutimur, cœpta abrumpimus: "ô miſeram perverſitatem! Quid "ergo agimus, cur enixis precibus "à liberaliſſimo Numine conſtantiam "non flagitamus? Martyrum tibi in "maximis tormentis fortitudinem ob "oculos pone. ô quàm inſigniter hæc "tuam roborabit debilitatem! Con-"ſidera, quàm futile, quàm inane, "leve ſit, quô te hactenus à virtu-"tum ſtudiis ſiviſti abduci, obſtacu-"lum. O quàm facili operâ divinâ "nixus ope id perfringes! Suſpice Dei "potentiam, ſpera in Dei miſericor-"diam: hac omnibus miſeriis eva-"des ſuperior, illâ omnibus hoſtibus. "O ſolatium! O gloria humani gene-"ris! O grande ſpei noſtræ fulcimen-"tum! At O miſerrimos econtra illos, "qui viribus ſuis innixi fluctuum inſtar "nunc ad levam vitiorum, nunc ad "dextram virtutis agitantur. 3. O e-"gregiam vitæ rationem! O ſapien-"tiam ſingularem! O novam morum "diſciplinam! De Ironia adi n. 310.& 365.

VII. *Euſebius.* Quot,& quænam reſtant diſcutiendæ figuræ? *Eubulus.* 381. *Licentiæ*

Sex: quas brevitatis ſtudiô compendio velut uno miſſu apponam.

1. Eſt Licentia, quæ definitur dicendi libertas, & fiducia affectum mentis liberioribus verbis exprimendi. Ex græco dicitur Parrhiſia, & adhibetur, cùm apud eos, quos vereri debet orator, dicendum eſt aliquid ingratum, atque id taceri non poteſt ob affectum veritatis, aut non debet ob rationem officii. Hujuſce rei formula eſt illud Ciceronis. „Vos „Patres conſcripti (grave dictu, ſed „dicendum tamen) vos inquam Sul„pitium vitâ privâſtis. Egregiam normam præbet laudandi per Præteritionem. e. g. „Dicerem tuam il„lam tot victoriis ſpectatam virtu„tem, niſi modeſtiæ tuæ vulnus ti„merem, dicerem &c. Patere tamen „ut ſolam religionem (ita exigit of„ficii mei ratio) tuam in theatrum „producam. Apta quoque eſt hæc figura ad monendum, objurgandum, minitandum, inſultandum, & concitandam fiduciam.

Optatione.

2. Eſt Optatio, qua vehemens alicujus rei, quæ nobis, aliísve proſit, deſiderium energicè exprimimus.

Fermè

Fermè producitur hiſce particulis : *O ſi* : *Utinam*, *Faxit Deus*, *faciat Deus*. e. g. *Utinam miſeri mortales majorem ſalutis ſuæ curam haberent* ! Potiſſimam autem hæc figura vim exſerit, cùm in argumentatione id in optativo producis, quod aliàs poſſes effere in indicativo. e. g. alius ſic diceret ; *brevitas vitæ*, *Dei jubentis voluntas* &c. *trahit ad virtutem.*

3. Eſt Admonitio, qua placidè aliquem, ut eum ad morum inſtaurationem inducamus, officii, indolis, nominis, nobilitatis, majorum, aut hauſtæ à magiſtris optimis inſtructionis &c. admonemus. Habet duas hæc figura partes : prima conſiſtit tota in Præteritione, altera in enumeratione eorum, quorum admonere volumus. Atque ex his ſic ad parſimoniam temporis hortaberis juvenem quendam. 1. Non ego hîc irrecuperabilem temporis jacturam profero, non memoro fœditatem otii &c. Major eſt nobiliſſimi tui animi præſtantia, quàm ut his ſtimulis indigeat. 2. Æqualium duntaxat ſtudia, majorum exempla contuere. Vides quantos illi in litteris profec- *Admonitione*

tus

tus egerint? in mentem redeant illa emolumenta, quibus hi integra sibi regna devinxerunt: subeat animum, quantus evasurus sis, si nobilissimi animi, & fertilissimi ingenii tui agrum constanter excolueris. Quævis minimi temporis portio pretiosa gemma est: hanc prodigere; cœleste donum est, id repudiare; ingens thesaurus est, hunc defodere, quàm à tua indole, nomine, & hausta majorum disciplina sit alienum, nosti.

Comminatione

4. Est Comminatio, fitque tunc, cùm ita admonemus quendam sui officii, ut simul misceamus terrores futurorum malorum. Quæ si per Hypotyposin producantur, mirum est, quantos animi motus consciscere possimus! Formulæ hujusce rei sunt ferme istæ. Erit, erit illud profecto tempus. Illucescet illa infausta dies. Jam mihi iminentis calamitatis sensum ferre videor, jam audire concursantium ejulatus, cùm deperditâ libertate &c. Tum per Hypotyposin calamitatem futuram ob oculos pones, velut jam oculis spectaretur. Judiciô tamen hîc admodum opus est, & arte, ne vatis præsiden-

fidentiam ſumamus, & ut extra veriſimilium metas non effundamur.

382. *Deprecatione*

5. Eſt Deprecatio, &, quæ ab ipsâ ſolis verbis differunt, obſecratio, ac obteſtatio. Hiſce figuris imploramus Dei, Cœlitum, aut etiam præſentium opem. Efferuntur communiter particulis *per*, *pro*, *ô*, e. g. „Per „tuam ego te ſalutem rogo. Pro tua, „quam de ſalute gerere debes, curâ, „te obteſtor. O cæci mortales atten„dite animæ, ſaluti &c. Hæc Deprecatio velut omnes ferme figuras ambit, ita etiam omnes Locos. Potiorem tamen ſedem ſibi in argumentis ultimæ proximæ (de qua n. 373) locat; ubi ſtylum, & motum graviter intendit, ac eò gravius, quò per plura argumenta remota ſinitur vagari.

Imprecatione

6. Eſt Imprecatio, qua ad exprimendum odii, indignationíſve affectum in alicujus caput diras coniicimus. Cujusmodi eſt, ſi dicas. „Dii „te fulminent. Quin tu abeas in ma„lam peſtem. Deus te perdat. Nonnunquam etiam nobis imprecamur uti ſi dicis: „Ima ſub pedibus dehiſ„cat tellus, ſi lingua verô abludat mea.

mea. At rara esto hæc figura Christiano Rhetori, nisi gentilium mores per Prosopopœjam, sint exprimendi, aut sermo sit de eo, qui inferis jam est addictus. Velut est: „Abi in æternas rotas, conterere, morere: quin „vive, ut semper moriaris. Cæteris autem omnibus potius precemur saniora consilia, aut si malum optare volumus, cum S. Paulo id ordinemus ad pœnitentiam delinquentium e. g. „Superi te cæcitate plectant, ut saltem cæcus scelerum tuorum fœditatem videas, detesteris, & fugias. En tibi hæc omnia in una hac Tabella. Num. 3.

